stupidam, sensuque carentem esse bonitatem? Bonus est Deus; quibus autem? Israeli, cor rectum habenti, neque confidentiam suam temere in ignava bonitate constituenti. *Quam bonus Israel Deus, iis, qui recto sunt corde.* Sed in quam scelerum abyssum ruit, qui divina fretus bonitate confidens, atque securus sese vitiis ingurgitat? Non majori cum periculo, inquiunt, multa, quam pauca scelera committimus, gravioribus nosmet abdimus flagitiis, quam levioribus adhæreamus: Dei sufficit misericordia, ut utroque veniam consequamur. Hinc autem quomodo impietati laxantur habenæ? quomodo in omne nefas ruitur? Heu Frater, S. Paulus *ad Rom.* 2. exclamat; ne Dei patientia te ad impœnitentiam trahat, ideo patiens est, ideo te suffert, ac tolerat: *Patientia Dei ad Pœnitentiam te adducit.* Contra hujusmodi profecto peccatores, quos divina misericordia in peccatis audientes efficit, Apostolus hæc terribilia verba pronuntiat: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Sermo Manuscriptus.*

Omnis fiducia in Dei misericordia constituenda est.

Dissimulare non licet; si nostra dumtaxat intueremur peccata, non injuria in desperationem decideremus: sin autem sanguinem, mortemque Jesu Christi respicimus, magnum spei nostræ mysterium; corda nostra ab his desperationis sensibus prorsus erunt aliena: *Desperare utique potuissem propter omnia peccata mea, nisi Verbum tuum, Deus meus, caro fieret, & habitaret in nobis*, S. Augustinus ait. Præteritorum scelerum meorum imago me quidem perterret, Sanctus hic addit, & si oculos in mea tantum flagitia conjicerem, de divina misericordia fortasse diffiderem; sed Jesus Christus in cruce omnes metus meos dissipat, & sanguis ejus cor meum confirmat. Si me tamquam dæmonis, cui me peccata mea tradiderunt, mancipium spectarem, non aliam criminum meorum exitum expectare possem, quam infernum; ubi vero cogito, me Jesu Christi membrum esse, ejusque sanguinem in venas meas defluere, tunc non spe hac confirmari nequeo, ipsum mecum sua usurum misericordia . . . . . Quæcumque peccata patrasti, S. Basilius inquit; eorum numerus, & magnitudo potest inveniri; at divinæ misericordiæ fines inveniri non possunt. *Abbas de Breteville libro cui titulus: Eloquentia Ecclesiastica, & Ferensis lib. 4.*

Quomodo de divina misericordia diffidimus.

De bonitate, & misericordia Dei diffidimus, cum scelerum nostrorum pondere obruti, vel ad extrema quædam redacti, unde humana ope nequaquam eripi possumus, animo deficimus, vel labimur in desperationem; quasi misericordiam illius non satis magnam arbitraremur, ut nobis parcere posset, vel brachium illius non satis validum, ut nos ea ex calamitate, in qua sumus, posset eruere. Ita Cain, quin peccatum suum coram Domino confiteretur, non aliud respondit, nisi majorem esse ipsius iniquitatem, quam ut veniam posset obtinere. Ita Saul quin accepta clade uteretur, ut rediret ad Deum, gladio seipsum confodit, & Amalecitæ manu sibi mortem conscivit. Ita Judas, quin ad divinam confugeret misericordiam, cujus toties expertus fuerat effecta, omnem abjecit spem, ac seipsum laqueo interemit. *Abbas de Monmorel, Homilia in primam Quadragesimæ Dominicam.*

Gratiæ animi sensus eo quod divinæ misericordiæ ope infernum evasimus.

Toties infernum meritus sum, quoties mortalia peccata commisi, ac Deus me toties inde eruit, quoties illum meritus sum, & ipse me æternis ignibus non addixit. Quam igitur rependere gratiam possum Deo, qui ex tanta calamitate me eripuit? Si Deus modo erueret ex inferni flammis damnatum iisdem excruciatum, quas illi haberet, ageretque gratias? Numquid minus teneor ego, ab illis ignibus præservatus? Num minorem illi gratiam debeo? Quot ibi torquentur miseri, ob unum dumtaxat mortale scelus illuc in præceps dati? Ego vero post sexcenta nondum damnatus sum; o summam Dei misericordiam! undenam tanta illic quidem austeritas, hic vero misericordia? Nihil scio: hoc unum scio, me hanc bonitatem nequaquam fuisse promeritum, & illa severitate in miseros magis commendari hanc Dei clementiam in me; meque inexcusabilem fieri, si me ingratum præbuero. *P. Nepveu tomo 2. Christianarum Considerationum.*

O potentissimam rationem, qua ad pœnitentiam peragendam inflammer! Dicere possum cum Job c. 17. *Infernus Domus mea est*: eo in loco torquendus essem, si meritis me Deus affecisset suppliciis. Ita sane; ignes illi, opprobria, æterni cruciatus essent pars mea, si Deus non misericordiæ magis, quam justitiæ suæ, criminumque meorum voci aures præbuisset. Æque ne subeundæ sunt mihi cruces, quas divina immittit Providentia, cogitanti, has mihi irrogatas pro æternis suppliciis, quæ meritus sum? Pœnitentis vitæ humiliationes gravesne mihi videri debent censenti, has locum obtinere opprobriorum æternorum, quibus essem adjudicandus? Hæc omnia levia, & suavia videri debent homini, qui infernum & meritus est, & meditatus. *Idem.*

Dei misericordiam beati in cœlo admirantur, & celebrant.

Paradisus sedes est, ubi divina misericordia magis effulget; beati illam singulari studio admirantur, celebrant, eique gratias agunt: omnes ejusdem thesauros aperiunt; omnem illius rationem scrutantur; omnes illius experiuntur affectus. Illos rapit, illos transfert, illos ineffabilibus cumulat deliciis. Hæc illos ad suprемum, quo perfruuntur, bonum adduxit; hæc illis aditum reservit; hæc sedem illis ibi constituit; hæc certam hanc illis effecit possessionem. Quamobrem æternis eam laudibus celebrabunt, ac indesinenter clamabunt: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Ps. 88. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

Actus spei, & confidentiæ in Dei misericordia.

Ne permittas o Deus, me teterrimæ hujus ingratitudinis reum fieri, ut de tua bonitate diffidam. Licet peccatorum meorum me terreat pondus, licet dæmones mihi metus, ac timores incutiant; sperabo Domine in tua misericordia, & non os tantum meum, verum etiam ossium meorum, ut Propheta loquitur, medulla, venarumque mearum sanguis jugiter dicent, tu Domine unica es spes mea, unicum refugium meum; in te spero, neque confundar umquam. Licet in umbra mortis incederem, licet totus infernus in meum conjuraret interitum, nihil timebo; quia proteges eos, qui sperant in te. *Auctor Anonymus.*

Quomodo consolari possimus peccatorem de divina misericordia diffidentem.

At enim, infelix peccator sum: verum nescis, & Salvator nonne explicitis verbis professus est, se in mundum venisse ob id unum, ut quæreret peccatores; & quia interitus eorum mistertus est, ideo de cœlis in terras descendisse? Aliequin quid illius esset misericordia? Peccata mea, inquies, gravia sunt: numquid gravia magis sunt, quam Dei misericordia sit magna? Nonne peccatorum nostrorum multitudo, & enormitas misericordiæ hujus gloriam commendat? Instabis fortasse, te nimis diu hac abusum fuisse confidentia; esto; verum fateberis etiam, diuturnum hunc abusum ostendere, te ab eadem amari; alioquin tamdiu passa non fuisset contemptus, ac rebelliones tuas; illa ad hanc usque diem tanta cum patientia te non expectasset; & post hæc potes adhuc de hac misericordia diffidere? Quanam argumentandi regula desperationis causam desumis ex tot monumentis amoris, ac benevolentiæ, quæ Dei misericordia tibi conferre non desistit? *Idem.*

Dei patientia nos diu præstolata est.

Peccator, qui nimis diu per latas deerrasti vias, quæ ducunt ad mortem, si nondum peristi ut longe plurimi; opus est misericordiæ, quæ te licet ingratum, perfidum, rebellem semper expectavit. Fessus hic Deus super oram putei Jacob sedit expectans, donec tu quoque, ut olim Samaritana mulier, accederes, & ex eo peteres aquam in æternum usque vitam salientem. Tot licet gravissima patrasses peccata, quorum clamor, ut olim Sodomæ, & Gomorrhæ in cœlum usque ascendit; patiens hic Deus fe descensurum ait, atque visurum: *Et Dictionario Morali, Sermone primo de Misericordia Dei.*

Dei patientia in hominum sceleribus perferendis.

Tota hominum patientia cum patientia Dei comparari non potest; non secus nulla proportio est inter injuriam, quæ creaturæ infertur, & eam, quæ contra Creatorem committitur. Deus autem videt omnia crimina, quæ contra divinam suam majestatem patrantur; & quemadmodum inde maximo dolore afficitur, posset simul ultionem reposcere, nisi ille nostrarum ærumnarum misertus sequi mallet mitem suæ bonitatis inclinationem, quam ad terribiles justitiæ suæ effectus gradum facere. Hinc quidem videt quanta sibi homines debeant, quia illos creavit, atque ad supremam evocavit felicitatem; inde vero summam eorum considerat ingratitudinem, & peccata omnia, quæ committuntur contra se in omnibus mundi locis. Videt blasphemos, perjuros, homicidas, animas iniquitati mancipatas. Videt aras suas pollutas, mysteria contempta, fideles servos exagitatos, omnesque leges suas a monstris impietatis violatas. Dicamne eodem oculo intueri domi suæ, atque inter fideles, homines terrena tantum cogitantes, quasi alteram futuram vitam nescirent; proditores, infideles, qui gratias ipsius aspernantur, legesque contemnunt, homines avaritiæ, & ambitioni inservientes? Dicamne, oculum hunc intimas cordium latebras perlustrantem in conjugiis infidelitates, in familiis inimicitias, in regnis seditiones, in foro rapinas, templo atque sanctuario hypocrisim, & irreligionem prospicere? Deus hæc videt omnia, & licet inde affici nequeat dolore, tamen succenset; ita ut nisi major illi, quam nobis, esset patientia in perferendis injuriis, jampridem brachium illius, quod pluribus armatum est fulminibus, nos præcipites in abyssum proturbasset, ac cœlum, terramque subversisset, ut nos sub eorum ruinis obrueret. Nos patitur tamen, peccata nostra dissimulat, ut ipse ait in Scripturis, ut nobis pœnitentiæ spatium relinquat. O miram Dei patientiam, quam tot indignitates, atque contumeliæ labefactare non possunt! *P. Maucorps Sermone de Misericordia Dei.*

Justitia, & misericordia semper simul esse debent.

Quodnam majus divinæ misericordiæ inveniri potest exemplum, quam in Crucifixo; sed ubi alterum invenietis exemplum, quo melius divina probetur justitia? Quomodo possumus non sperare in Deo, qui pro nobis proprium filium suum sacrificavit? verum quomodo possumus etiam illum non timere, quandoquidem ita illi displicuit peccatum, ut illud punire debuerit in filii sui persona, quem æque ac seipsum amabat? Si bonus latro bene moriens postquam male vixerat vobis spem facit, mortem vestram non fore infelicem; malus latro male moriens licet ad latus quidem Salvatorem habeat, ad pedes vero beatam Virginem, terrorem vobis incutere nequit? *P. Haineufve libro de ordine, tractatu de Prudentia.*

Magnitudo misericordiæ Dei.

Tertullianus, cujus ingenium semper ad severitatem pronum fuit, paucis verbis tradidit ideam, quam de divina misericordia habere debemus, illam *Redundantiam clementiæ cœlestis appellans.* Innuit autem, Dei misericordiam, non secus ac alias illius perfectiones non posse aliter concipi, quam per superabundantiam perfectionum. Exempli gratia quid est infinitas Dei? Est superabundantia perfectionum; ita ut quascumque concipis perfectiones, aliquæ adhuc præter eas, quas concipis, superent. Quid est ejus æternitas? Est superabundantia diuturnitatis ultra omnia temporis spatia, quæ concipi possunt. Quid ejus immensitas? Superabundantia præsentiæ ultra mundos omnes possibiles. Similiter quid est Dei misericordia? Est bonitatis superabundantia, quæ efficit ut postquam decies centena peccatorum millia patrasti, si alia decies centena millia adjicias, bonitatem habeat, qua tibi parcere possit, & gratiam, qua te huic gratiæ disponat, nisi illi, ut oportet, servire renueris. *P. Texier Sermone de peccatorie deffectione.*

Divinæ misericordiæ præsumptio.

Præclare animadvertit S. Augustinus, duo esse, quæ hominem perdunt, alterum quidem in tempore, alterum in æternitate. Diffidentia de bonitate, ac providentia Dei hominem in tempore miserum facit. Quid non adfert in scripturis Deus hominem persuasurus, ut pro terrenis negotiis in ipsius providentia confidat, & in ea familiæ suæ fundamentum constituat? Attamen homo semper hac in re diffidit; sed quod ad æternam pertinet salutem, ac peccatorum remissionem nimiam habet in Dei bonitate fiduciam, & fallax hæc confidentia illum perdit, quia est cum præsumptione conjuncta. *Idem. Sermone de Procrastinatione pœnitentiæ.*

Fallax peccatorum de divina misericordia confidentia.

Objicies fortasse, infinitam esse Dei misericordiam; verum ignorasne Dei misericordiam spectari bifariam posse, & in seipsa, & in effectibus suis: in seipsa infinita est; est enim ipse Deus; in effectibus vero finita esse potest: nonne enim palam testatur Scriptura, Deum licet summopere misericordem certum nihilominus constituere terminum gratiis, quas nobis conferre cupit? quis autem affirmare audeat hanc non esse novissimam gratiam, quam hodie nobis offert misericordia? Cur ergo adeo acceptam, sanctamque abjicis occasionem, cur salutis tuæ inimicus es, eo usque ut resistas, atque adversteris Deo te inquirenti, ac ut tuæ saluti studeas, sollicitanti? *P. Masson Sermone quinto.*

Cum peccatoribus infelicitatem esse oportet, Salvatoris exemplo.

Pius Sanctusque Abbas confessarium quemdam allocuens, hæc illi: *Exprime in te Christi affectum*, quandoquidem illius vicem geris: *Minister ejus est, qui dives est in misericordia.* Illius locum tenes; illius officio perfungeris: *Noli in alieno præduru inveniri.* Ne te immitem præbeas in iis, quæ non pertinent ad te: misericordiam, quam facere potes, tua non est, sed Jesu Christi. Illam ipse facere dignatur, cur manus illius alligare cupis? cur prohibeas, ne misericors sit? *Idem.*

Cavendum, ne divina abutamur misericordia.

Vide ne mollescas audita Dei bonitas, S. Chrysostomus inquit. Cave ne in christiana vita tepescas eo quod summam Dei esse audis misericordiam. Piget Deum te perdere, fateor equidem; attamen si vixeris, ut Etnicis, & cardinalibus hominibus mos est, nisi in vita tua alios secutus fueris canones, quam corruptas mundi sententias, fatigari potest, immo debet; quia neque negligens esse potest, neque injustus. Quamvis misericors sit, tua puniet flagitia . . . . Quicumque igitur es, iterum dico: *Vide ne mollescas audita Dei bonitate.* Ne ignavus sis in cultu Dei; ne fallacem sibi adstruas de misericordia ejus ideam; nihil est quod hæc divina perfectio modo pro se non efficiat, quia nunc regnum ipsius est: verum cum tempus erit justitiæ, nihil erit, quod posterior hæc perfectio contra te non efficiat. *Idem.*

Grati animi sensus ob eas misericordias, quibus erga nos usus est Deus.

Animæ bonæ nulla umquam re magis affectæ fuerunt, quam grati animi sensu. Videte, quos sensus in corde S. Augustini excitet gratitudo. Quotidie magnus hic vir secus oram abyssi, unde illum eduxerat Deus, ejus scrutatur altitudinem. Quotidie recenti capitur admiratione misericordiarum, quas in ipsum exercuit Deus. Tunc etiam, o Domine, exclamat, tunc etiam, cum maxime recedebam a te, fugiebam te; monita, gratiasque tuas contemnebam, ut me inquirebas, me persequebaris, nec cessasti, nisi meam superasti duritiem, ac ad te me reduxisti. Quomodo grati animi sensus erga te meos proferam, quandoquidem illos proferendi cupiditas nova gratia est, quam mihi largiris? Nos vero, quibus Deus talia proponit exempla, cur non eosdem sensus foveamus, quandoquidem eamdem experti sumus bonitatem? Spiritus igitur noster deinceps immensis tantummodo Dei vacet beneficiis; eorum numquam obliviscamur; sæpius quam fieri poterit, illa mente reparamus; nihil hujusmodi cogitatione vel jucundius, vel utilius. Commoveantur viscera nostra; corda nostra hos foveant sensus; ossa nostra licet sensu carentia, sensu & ipsa afficiantur, & ut ossa Prophetæ exclament: *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi*; Psalm. 34. *Tiberges postrema recessus sui die, meditatione prima.*

Hominis Dei misericordia major est, quam omnia mortalium peccata.

Hic homo Deus, qui ad homines salvos faciendos, & redimendos advenit, non effudit sanguinem, qui ultionem deposcat, ut sanguis Abel, sed qui misericordiam rogare non cessat, eamque semper pro peccatoribus rogat, rogabitque. Itaque illius meritum arctat, qui eam non septies, vel septuagies peti ab eo putat; nam etenim eam septies septuagies petit, hoc est semper, ac pro omni scelerum genere; non solum pro communibus noxis, verum etiam pro gravissimis, qualia sunt adulteria, parricidia, & alia quæ adhuc graviora sunt, & magis abominabilia: etenim virtuti sanguinis, quem per infinitam misericordiam effudit, nulli sunt fines, nulla mensura; & fortior est, quam omnia simul peccata, quæ fingi possunt, & quæ maximam infelicitatem constituunt. Non igitur credendum est, infinitam Dei misericordiam cum humana miseria conjunctam, ut Deum misericordem efficiat, ad eam redigi misericordiam, quæ ad tempus tantummodo parcat, & quibusdam tantummodo miseriis medeatur. *Sarazin Sermone de Jesu Christo Redemptore.*

In hoc Dei effulget misericordia quod prior peccatores inquirat.

Miratur Propheta, quod Deus non solum de homine cogitare, verum etiam sese ad illum inquirendum submittere dignetur; verum magis mirandum est, cum ea consideratur ratio, qua illum inquirit; primus enim licet læsus eum quærit. Ev[illegible]lium, quod tantopere inimicorum dilectionem co[illegible]dat, huc non procedit; hoc ab uno Deo, qui infinite misericors est, fieri potest. Deus prior peccatorem inquirit: heu! nisi hunc prior inquireret Deus, peccatoris calamitas omni spe omnino careret; homo enim ex se potest quidem a Deo recedere, at ad Deum ex se redire non potest. Oportet Deum primos movere gradus, ac præcedere; peccator vero ad illum venire nequit nisi invitetur, atque attrahatur. Oportet eum, quem peccatis suis inimicum sibi esse jussit, eidem suppeditare, unde leniatur; oportet a Deo peccatorem ad veniam deposcendam sollicitari, dummodo in illius recipiendæ statu inveniatur. Quis audit umquam sontem a judice rogari, ut gratiam recipiat? Hoc agit Deus, cum nos ad pœnitentiam invitat? Quis audiit umquam nocentem, oblatam sibi gratiam detrectare? Hoc tu facis tamen cum renuis agere pœnitentiam. *P. Nepveu tomo 3. Christianarum Considerationum pro die vigesima prima Julii.*

Sollicitudo, qua Deus peccatorem inquirit illius ostendit misericordiam.

Deus sollicite peccatorem inquirit non indigens illo. Quamvis omnes vel in nihilum redigeremur, vel inferni flammis excruciaremur, Deus non ideo vel minus magnus esset, vel minus beatus. Attamen eam intuitur sollicitudinem, qua Deus peccatorem requirit, diceres illius felicitatem ab hominis amicitia pendere. Omnes perditi amatoris curæ, omnes amantissimæ genitricis anxietates nequaquam imitantur eam sollicitudinem, quam præsefert Salvator infidelem perquirens animam, quæ deerravit. Boni pastoris parabola, & cura, qua errabundam inquirit ovem; sedulitas, atque ardor, qua mulier evangelica amissam drachmam inquirit; alterius quidem intemperans gaudium propter ovis redditam, alterius vero propter drachmam inventam figuræ quidem sunt, sed infirmæ illius sollicitudinis, qua Salvator infidelem inquirit animam, & lætitiæ, qua ob eamdem inventam perfunditur. Verum hæc nonne palam nostram redarguunt ignaviam, quæ perqui-

perquisitionis hujus ardore non tangitur, & quæ fortasse inquirentem fallere studet, eique resistit? *Idem.*

Inde vero divinæ patientiæ miraculum crescit, quod nobiscum dissimulare videtur: *Misereris omnium, Sapiens ait, quia omnia possis, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Illud nobis admirationem ciere debet, quod Deus omnia scit, omnia potest; & dissimulat. Dissimulant homines per ignorantiam; namque mali magnitudinem nesciunt, vel per imbecillitatem, quia illud punire, vel coercere non possunt. Hæc omnia Deo facilia sunt, & dissimulat; immo non dissimulat solum, verum etiam aliquando excusat .... Ullumne umquam scelus extitit minus excusabile, quam Judæorum delicidium? Attamen Salvator rationem invenit, qua illud excuset: Luc. 23. *Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt.*

Quantumvis mannus peccator es, metuere non debes ad Deum confugere.

Ne metuas quantumvis nefarius sis, accede veniam petiturus, dummodo cum sincera hoc fiat pœnitentia. Deum honorat, qui bonitatem illius majorem putat, quam reipsa sit, vel esse queat improbitas nostra. Verum nonne insignem Deo inferret injuriam, qui sibi fingeret irreconciliabile cor in Deo, cujus natura est bonitas ipsa? Confidamus igitur in eo, Sancta inquit Theresia; dolor noster efficiet, ut ille obliviscatur ingratitudinis nostræ; & gratiæ ipsæ, quibus abusi sumus, efficere poterunt, ut habeamur tamquam domestici, qui eidem inserviendi honorem adepti sunt. Si fons misericordiarum Dei inexaustus est, & si ille non fatigatur donando; nonne infelices essemus, si fatigaremur recipiendo, ac in miseriis nostris opem illius exposcere dedignaremur? Peccatum time, antequam illud committas, quasi Deus illud dimissurus non esset, sed postquam illud commisisti, ad Deum tanta accede fiducia, quanta si veniæ obtinendæ certus esses. Te pudeat quidem, atque pœniteat, sed cave, ne spem per pusillanimitatem abjicias; ut miserum esse desinas, sentienda tibi est miseria tua, non augenda. *P. Dozenne in morali Jesu Christi.*

Videtur Deus justitiâ suam in dispositione nostra statuere.

Infinitæ tibi, Domine, sunt perfectiones, omnes æque adorabiles, æque amabiles. Sola justitia tua efficit, ut coram te contremiscam; hæc punire debet iniquitates nostras, ac de æterno statu nostro decernere. Verum, Deus, dicere audeo, justitiam hanc quodammodo in nostra voluntate constituis: nobis permittis illius sententias, & flagella moderari; illam severam, mitemque facis, prout libertas nostra gratiis tuis utitur, vel abutitur. Nonne lætandum nobis est, quod tu virtutem debeas remunerari? Sed peccatores sumus & æquitas tua terrore nos replet .... Non deero illi reverentiæ, qua coram te annihilare me debeo, si quamvis peccator iterum dixero, te ita æquum esse, ut te cogere nequeamus, ne sis, nisi ut nos perfecte beatos efficias? Scimus, te nihil nobis debere, ac ne posse quidem nobis debere. Verum est tamen, te nequaquam justum fore in interitu nostro, nisi ad id nostra te peccata coegerint. Teneram misericordiam tuam exerces, quia vis; terribilem vero justitiam tuam non exerces, quia nolumus; satis est, non peccemus; tu vero in nos non esse misericordem non poteris ..... Crimina nostra sunt causa, & instrumenta ultionum tuarum. Nihil mihi metuendum est, immo vero omnia abs te speranda, si ubi peccata mea rite expiavero, deinceps voci tuæ me fidelem præbuero. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia Religionis, Ethicæque argumenta, Tomo 2.*

Peccator inhibet cursum misericordiarum Dei erga se.

Peccator nonnumquam in peccato suo perseverat, quia sperat misericordiam, quam mereri negligit; manifesta est ejus præsumptio. Nonnumquam ie non convertit, quia se credit indignum misericordia, quæ illum repellit, ac longius arcet: gravissima est iniquitas ejus. Dolet, quod non experitur effectus hujus bonitatis, quæ illum salvum facere vult; sed vivit adhuc ut illos petat, & obtineat, si uti opus est, illos petierit. In ipso igitur postum est illos recipere; & querela ipsius ingratum ejusdem animum ostendit. Dolet, quod præterita peccata divinorum beneficiorum cursum retardarunt: Deus paratus est, ut peccatorum ejus obliviscatur, si ille pœnitere voluerit. Incipiat hodie peccator bene vivere; hoc potest: non poterit deinceps neque seipsum, neque alios eam, per quam immutatus fuit, celare misericordiam. Si sola ipsi mens, solum inesset desiderium ad frugem redeundi, Deum erga se bonum experiretur; sin autem reipsa ad frugem redierit, nonne vitæ suæ conversione ineffabilem Dei erga se misericordiam celebrabit? Si tamquam amicus haberi vellet, donec obdurato animo se illi præbet inimicum, extrema sane illius esset insolentia.

Peccator injuria de divina misericordia diffidit.

Idem.

Peccator, qui sincera ducitur pœnitentia, & nihilominus de divina diffidit misericordia, perperam argumentatur. Quisnam illum evocavit longius in dies aberrantem? Quis excitavit eum alto demersum somno? Quis illum gratiis prævenit, cum illas ne petere quidem in animo ipsi erat? Nempe ipse ille Deus, a quo putat se recipiendum non esse, cum in illius brachia se conjecerit, a quo aures sibi negandas arbitratur veniam, opemque flagitanti; quem non misericordem credit, cum illi misericordiam suam repræsentaverit, Rediisset ne cum illo in gratiam Deus, ut illum desereret? illum immo adhuc inimicum deseruisset, Quid cogere potuisset Deum, ut ipsum beneficiis ornaret suis, nisi desiderium affatim illius lucrandi, priora majoribus cumulando? Intererant Dei ejus dissimulare flagitia, ut illius rationem haberet? Numquam potiori jure illius oblivisci potuisset, quam cum in sceleribus volutabatur. Numquid illum in salutis viam revocasset, ut perderet? Qui hæc negaverit, næ ille rationi æque ac fidei facit injuriam. *Id.*

Deus de suo bonus est, de nostro justus, ut ait Tertullianus.

Si Deum in natura ejusdem spectemus, non aliud est, quam bonitas, & misericordia; *Deus de suo bonus est*, inquit Tertullianus. Divinæ hujus naturæ ratio summa bonitas est, & ad benefaciendum inclinatio; ex infinito hoc misericordiæ thesauro gratias haurit, beneficia, benedictiones, & præmia; pœnas vero, atque supplicia, quibus peccatum punit, & nostra illi nequitia, & ingratitudo ministrat. Justus est, quia nocentes sumus; nos illi arma suppeditamus, quibus nos puniat: *Deus de suo bonus est, ac erga justus.* Verum Deus hic licet bonus, atque misericors, severus, & inexorabilis fit, cum punire debet in peccatore suæ misericordiæ contemptum. Ad peccatorem vero convertendum quid intentatum misericordia relinquit? illum in ipsa iniquitatis ejusdem abysso perquirit; illum inde reducit, animæque illius vulneribus mederi oblectatur &c. *In specimine Sermonum pro Adventu.*

Justitiæ divinæ fines non secus ac misericordiæ statuere non possumus.

In Deo ea tantum novimus attributa, quorum infinita est magnitudo, ita ut eum misericordiæ illius nullos statuere fines possimus, nullos quoque ejusdem justitiæ terminos possimus invenire: veluti cum duo æqualia pondera æquis pendent in lancibus, neque alterum attingi potest, quin alterum moveatur, hoc ipsum de misericordia, & justitia Domini potest affirmari qui alteram lacessit, alteram quoque lædit. Ita cum Propheta inquit, se in æternum Domini misericordias celebraturum: *Misericordias Domini in æternum cantabo*; hoc ad duo longe diversa tempora est referendum. Etenim donec in terris sumus, S. Gregorius ait, lenire possumus iram Dei, quem non videmus; sed cum ad tribunal ejus, & coram ipso prodibimus, justitiam illius flectere non ultra licebit. Hinc illa in omnibus vitæ operibus diffidentia, & salutaris ille timor, qui incesserat Job, cum ob infirmitates suas rubore suffusus, Eheu, Domine, clamabat, *c.* 9. omnes actiones meas intuitus contremisco; scio enim post mortem nullam peccatori sperandam esse misericordiam: *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Hinc illa difficultas, qua Propheta solum irati Dei adspectum se nequaquam ferre posse timebat. Hinc illa desperatio reproborum, qui nullam in misericordia spem invenientes, in nihilum redire cupiunt, ac montes ipsos orant, ut in caput suum ruant, perinde ac istud unicum sit malorum suorum remedium, unicumque suarum pœnarum solatium. *P. Massillon Sermone de extremo judicio.*

Deus non minus justus, quam bonus est.

At enim Deus bonus est; & quia bonus est, gloriæ tibi vertis nequitiæ tuæ addere cumulum? illum in ipsa ejusque misericordia lacessis; illius patientiam, ac lenitatem in ludibrium vertis? Recordare, si bonus est, non minus justum esse, & quia justus est, summa cum severitate crimina tua puniturum. Ille nullam erga te misericordiam habebit, quia tu nullam illius rationem habuisti. Eheu fratres, nimis arcta Dei esset potestas, nisi aliquod saltem sibi reservasset tempus, quo acceptas contumelias ulciscereturus. *Idem.*

Justitia misericordiæ succedit.

Sanctus vir Job de extrema impii calamitate verba faciens, *cap.* 24. quodam utitur verbo, quod imprecationem sapere videtur, quamvis re ipsa non aliud sit quam vaticinium eorum, quæ aliquando eventura sunt peccatori Dei misericordiam contemnenti. *Obliviscatur*, ait, *ejus misericordia*, innuens hoc gravissimum esse, quod possit accidere, malum. Sed alter Propheta eodem justitiæ zelo succensus e contra petit, ut Deus suas contra peccatorem ultiones exercens misericordiæ suæ recordetur: *ita enim nonnulli hæc explicant verba; Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Habac. 3. Hæ duæ sententiæ eadem in re sibi adversari videntur, verum operosum non est eas conciliare; utraque enim mirum in modum, licet diversa ratione iræ, justitiæque divinæ magnitudinem exprimit. Prior quidem petendo, ut misericordia obliviscatur peccatoris, quasi ad nihilum redacti; altera vero, ut Deus ejusdem reminiscatur misericordiæ, cum consilium inierit de peccatore pœnam reposcendi. Illa in oblivione repræsentat peccatorem derelictum, ac sine ulla exceptione traditum potestati meræ, & rigorosæ justitiæ. Hæc in recordatione nobis ostendit causam hujus severitatis, omni miseratione carentis. Illa petit, ut misericordia ne meminerit quidem peccatoris, ne illius misereatur; hæc, ut in memoriam revocet eas, quas erga hunc ingratum misericordias exercuit, ut vehementius iram Dei in illum accendat. *Sermo Manuscriptus.*

Vult Deus cogi ad misericordiam exercendam.

Quoties conquestus est Deus cum Moyse, a quo nimis premebatur, sibique vis inferebatur, prohibente, ne irasceretur contra populum, a quo semper contumeliis afficiebatur: *Dimitte me, ut irascatur furor meus &c.* Exod. 32. Nc prohibeas Moyses, furorem meum contra hos rebelles sevire, adeo sapienti duæ prorsus indignos. His verbis iram quidem ostendebat, verum nihilominus facile intelligere poterat Moyses, preces remittendas non esse; quod docuit eventus; quandoquidem passus est Deus se precibus illius superari. *Id.*

Adhortatio ad Dei misericordiam expetendam.

Audite, fratres mei, quorum salus mihi mea ipsa esse debet antiquior; audite hodie vocem Dei, & nolite obdurare corda vestra. Deus ille, quem injuria affecistis, habet adhuc sepositas gratias. Quemadmodum brachium illius abbreviatum non est, ita paratus est, ut se flecti vestra pœnitentia, lacrymisque permittat. Diuturna patientia, qua vos in præsens usque tempus sustinuit, vobis argumentum esse debet, ac tutum pignus gratiæ obtinendæ. Licet judex sit, licet gravissima sint vestra scelera, habet adhuc erga vos patris, & amantissimi patris charitatem. In peccatoribus, ac in omnem libidinem æquo effusioribus, oblectatur ille misericordiæ suæ gratias effundere, ut magis elucescant. Quantumvis nefaria vita vestra extiterit, vos ipsi eligi ad id potestis, & quis scit, utrum qui ex vobis majori impietate antecellunt, ad id electi jam fuerint? Fieri potestis vasa electionis. Ad illum accedite, humilique confessione horribilis cæcitatis, ad quam vos peccatum vestrum redegit, licet pecatores vosmet eo in loco statuite, ubi coram illo gratiam invenire valeatis: conversio vestra illius quidem erigit gloriam, Ecclesiæ vero illius ædificatio. Nomine tuo loquor Deus; neque longius quam par est provehere mihi videor ideas clementiæ tuæ, quas illi adstruo, quia infinite adhuc superat omnem charitatem qua illos complector. *P. Bourdaloue in veris Sermonibus ejus. Adventu secundo Sermone de extremo judicio.*

Falsa idea, quam plurimi de divina misericordia concipiunt.

Affirmare possumus fideles in peccatis suis retineri, & confirmari fallaci divinæ misericordiæ idea. Concipitur enim veluti imbecillis bonitas quædam, divina magnitudine indigna, sanctitati illius indecora, justitiæque ejus contumeliosa: unde sequitur, quod in peccato persistere, quia Deus misericors est, idem est, ac quantum in nobis est, illum iniquitatis nostræ consortem efficere. Verum majorne inferri potest divinæ huic bonitati contumelia, post talem offensam contra illius misericordiam? Quodnam igitur nostrum erit perfugium? Hoc autem nobis terrorem debet incutere, quod eo tempore, quo Deus irritatus ex omnibus pœnas deposcet, non misericordia minus, quam justitia illatas sibi injurias erit persecutura. Nihil flectere poterit Deum hunc ira succensum, qui severissimis pœnis scelera simul, & publica peccata persequetur. *Albas de Monmorel, Sermone in primam Ad. Dominica.*

Per præsumptionem, ac divinæ misericordiæ diffidentiam æque recedimus a Deo.

Cum iniquitas vulgo soleat esse cum mendacio conjuncta, mirum non est, quod adeo frequenter sibi adversentur, & peccatores quotidie adhibeant rationes prorsus oppositas, ne pœnitentiam agere teneantur. Præsumunt alii, omnia peccata sibi a Deo esse dimittenda; alii e contra sibi persuadent futurum ut numquam sibi parcat Deus. Primi per præsumptionem, posteriores peccant per pusillanimitatem; sed utrique a Dei viis æque recedunt. Qui enim præsumunt falsa, quam habent in Dei misericordia, confidentia ad Deum impune lædendum abutuntur: pusillanimes vero de divina bonitate desperantes, inde prætextum arripiunt in pravis habitibus suis permanendi, ac sese cupiditatibus omnibus mancipandi. *P. Giroust in Adventu, Sermone de spe Christiana.*

Deus misericors est nostri cum iniqui effemus misericordia.

Ad magnitudinem divinæ misericordiæ agnoscendam ea repetenda sunt tempora, quibus omnes damnati eramus, & ubi nullum liberatorem merebamur. Liberator hic nobis ab ipsis mundi primordiis promissus fuit, & illius mittendi consilium ante omnia sæcula initum fuit; at misericordia hæc non est meritis nostris accepta referenda. Si Deus sanctitatem, ac justitiam tantummodo consuluisset, illos in eorum iniquitatibus reliquisset, eosque punisset, quin nos converteret, ideoque æternis illos damnasset suppliciis. Angeli in infernum præcipites dati infelicitate sua docent, qualis nostra futura fuisset. Per impœnitentiam suam nos erudiunt, quod nostra merita fuisset inobedientia; & quod frustra tot sæculis patiuntur, nobis ostendit, quam steriles, omnique fructu carentes hactenus fuissent clamores, lacrymæque nostræ eas inter flammas, quibus uruntur. Quemadmodum Christiani efficimur, statim ac in lucem editi sumus, ac de Evangelicis promissionibus tunc verba nobis fiunt, ubi per ætatem illa intelligere possumus, ita perraro accidit, ut cogitemus, nos esse potuisse sine mediatore, ac sine ulla spe salutis. *Ex libro, cui titulus: Tractatus de Oratione.*

Mirum est, quod Deus ejusmodi peccatores sit adeo misericors.

Si peccator justam habet ideam de scelerum suorum enormitate, admirari profecto debet, quod Deus parcendo paratus sit: neque mirum nobis accidere deberet, si ille desperaret de gratia, nisi proposita damnationis pœna Deus illi imperasset, ut in sua misericordia confideret. Peccata illius adeo nefaria sunt; ille per nihilum suum adeo procul abest a Judicis sui magnitudine, adeo contemptibilis, & misericordia indignus est, ut Dominus ejus, qui ab eodem contumelia effectus est, jure illum tamquam malum defereret famulum, cujus salutem, vel interitum nullo habet in discrimine. Sed fides credere nos cogit, illum donec vixerit, posse petere, sperare, & obtinere scelerum suorum remissionem. Hæc Domini indulgentia si in omni extensione sua, omnibusque spectetur circumstantiis, aliquod nobis videbitur religionis nostræ mysterium ex iis, quæ difficillime comprehenduntur. Non satis fuit Deo veniam promittere peccatori, sese ad illam recipiendam disponenti; ut hanc illi concedat, non aliud petit, quam quod ab illo maxime pendet: voluntatem videlicet, quam gratia sua excitare, ac fovere promittit. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta tomo 3.*

Quo animo affectus esse debeat peccator erga Deum qui in ipso tanta utitur misericordia.

Si peccator paullo serius attenderet divinæ erga se misericordiæ effectus, nonne sensu carere existimandus esset, si illis minime afficeretur? Non denegat illi Deus gratiam, quæ necessaria est, ut sese colligat, ipsumque criminum suorum pœniteat; hoc jam est bonitatis argumentum, quo ille naturaliter esset afficiendus. Quis inimicus, alioquin ex se spectabilis, primos movere gradus vellet, ut eum, a quo læsus fuerit, cogeret uniti, ut a capite suo justam illius ultionem averteret? Dei clementia longius procedit, eamque ille quodammodo in peccatoris voluntate constituit. Quid ab illo petit, ut eidem pareat? Dolorem, quo sua detestetur crimina. Numquid peccatori nimis grave potest videri, quod hic a se auferendus sit error? Nonne illum ad id propria utilitas cogit? Perire non vult; nondum ita spem omnem salutis abjecit, ut data opera cœlum abrenuntiare velit ultro in infernum prolapsurus. Peccatum ejus nonne detestabile est propter ingratitudinem, perfidiam, nequitiam, quæ in illud eum impulere? .... Dei læsi misericordia nequaquam hos benevolentiæ suæ cancellos constituit; vult ad hæc ut quodammodo in peccatoris facultate situm sit sua regere beneficia. Fit magis liberalis, ac tenera, prout peccator majorem acerbioremque dolorem experitur; eique libentius parcet, quo minus sibi nocens condonabit. Cum autem illum sincere pœniteat (cur vero hac fretus misericordia illum ex animo vere contrito non pœniteat?) ulluisne rei habere debet rationem, ex quo scelus suum odisse decrevit? Cur enim conceptum sui criminis horrorem imminuat? Dei misericordia ex doloris illius magnitudine sua metitur solatia, blandimenta, beneficia. Nonne igitur admodum infelix est, si fuerit in causa, ut illa suam inhibeat bonitatem, ac desiderium, quo tenetur, eum gratiis suis cumulandi? *Idem.*

Deus misericors est, verum nequit facere quo minus peccatum oderit, ac illud puniat.

Arduum esset aliquid sibi fingere, ultra ea, quæ Deus facit, ut suam peccatori testetur misericordiam, nisi ab illo injusta exquiratur impunitas, quæ quidem horribilis blasphemia est .... Velle Deum peccatoris dissimulare crimina, & numquam insigni aliqua pœna in ipsum animadvertere, idem esset ac velle ab eo nefaria quælibet scelera, teterrimosque conatus probari. Una hæc cogitatio, quod Judex infinite sanctus, ac sapiens sibi permittere queat adeo noxiam clementiam adeoque recto ordini oppositam, citra horrorem concipi nequit. Non potest facere Deus, quominus peccatum oderit, & puniat peccatorem. Verum quomodonam potest ille magis sincerum ostendere desiderium & peccatum prohibendi, & peccatori parcendi? Ante peccatum nos illuminat, nobis minitatur, ut ejusdem horrorem cieat; nobis animos facit, viresque suppeditat, ut de ipsa cupiditate victoriam reportemus; atque contra naturæ studium gratiam, fidem,

fidem, rationem, conscientiam armat. Ubi vero peccatum patratum est, indesinenter ob oculos ponit illius turpitudinem, metu gravissimorum suppliciorum, quibus hoc nos objicit scelus, perterret; sexcentis rationibus movere conatur, ut nos veniam ab eo petere cogat. Incredibili patientia præstolatur, ut nosmet colligamus, nostrique criminis nos pœniteat: & licet jure nobis succensseat, præcedit, tetendituque manum, ut in misericordiæ suæ sinu recipiat. *Idem.*

Consideratio misericordiæ Dei ab ejus offensione deterrere nos debet.

Longe magis infidelitates nostras perhorresceremus, si animum adverteremus ad eam, quam erga nos Deus profitetur misericordiam . . . . . Deum offendimus, illius legem violamus, irritamus justitiam ejus: quæ res illum impellere posset, ut nobis veniam elargiretur? Quid interest illius utrum cum ipso redeamus in gratiam; utrum præmiis afficiamur, an pœnis? Quantumvis ille magnus sit, quantumvis a nemine pendeat, nos liberaliter, & peramanter invitat, ut sibi servemus fidem. Sollicitationes, minæ, illecebræ, promissiones, nihil intentatum relinquitur, ut eidem adhærere velimus. Quam metuendum nobis esset, ne illi displiceremus, quandoquidem aliquo habere dignatur in loco eos conatus, quibus illi placere studemus, & adeo libenter nostra acceptat obsequia? Ut eam, quam nobis elargitur gratiam, rite æstimemus, satis est, si cogitemus, quid nobis accideret, si ille nullo nos in discrimine haberet, ac nobiscum sese gereret tamquam cum creaturis sibi inutilibus.... Sufficeret nos ab illo contemni, ac negligi, ut ille nos perderet, nisi se submitteret, ita ut in bonorum nostrorum partem quodammodo accederet, nostros nos nihilo, nostræque traderet improbitati, actumque esset de nobis. *Idem.*

Deus incomprehensibili misericordia nihil prætermittit, ut nos ad se trahat.

Deus hic misericordiæ nihil prætermittit, ut nos salvos faciat, & ad officium redire cogat. Si percutit, ideo percutit, ut nobis medeatur; si terret, ideo terret, ut parcat; si irascitur, ideo irascitur, ut cum eo redeamus in gratiam, nobisque osculum pacis tribuat. Quot moras nectit, nos ad frugem reversuros sperans? Qua sollicitudine suam nobis gratiam reddit, si nos sceleris nostri pœniteat? Quibus nos excipit blandimentis, si nos ad illum bona fide revertamur? Non est cur omnes bonitatis ejus artes enucleamus; illas intuemur, sentimus, agnoscimus. Quomodonam Deus adeo magnus, & a nemine pendens ita operaretur, nisi nostro afficeretur interitu, nisi nos maximo complecteretur amore? Homo nobis similis, æqualis noster, dominus paria præstaret, ut inimicum sibi iterum conciliaret? Cum damnabit nos Deus, quid illi respondere licebit? *Idem.*

Deus Pater dicitur misericordiarum.

Deus vocari vult Pater misericordiarum, non autem Pater ultionum; quia pater cum etiam iratus est, majorem præ se miserationem fert, quam indignationem; quia pater in corde suo invenit suæ bonitatis principium, & causas, & nonnisi in sceleribus filii puniendi, ac ulciscendi causas nanciscitur. Si Deus nostri misereturi; nulla re, nisi ex propria misericordia misereturi; nobis benefacit, quia vult; neque meremur, quod nobis benefaciat, nisi quatenus per gratiam beneficiis suis dignos nos facit. Misericordia ejus longissime superat illam, quam in optimo, & amantissimo liberorum suorum patre fingere possumus. Non solum sua ducitur natura ad eam, quam nobis testatur miserationem; non solum nostrarum miseretur ærumnarum, quia ultro sese iisdem sensibilem præbet; non solum in nos flagella distringeret, atque nos odisset, si nostram tantummodo indignitatem, nostraque flagitia perpenderet; sed o ineffabilem bonitatem, quæ amantissimorum parentum dilectionem longius excedit! ex infelicitate nostra, nostrisque criminibus sumit occasionem suam erga nos exercendi misericordiam: sese eo usque demittit, ut nostris succurrat necessitatibus, quia miseri sumus: odit peccatum nostrum, & arcet nostrum supplicium. A nullo pendens, omnipotens, justus, inimicos suos ad supremam felicitatem vellet adducere. Bonitas ejus horret peccatum; bonitas ejus agere non cessat, sollicitque sua effundit beneficia, ut peccatorem convertat, & salvum faciat. Nequitia nostra non prohibet misericordiam illius; nonne misericordia illius nostram prohibere deberet nequitiam. *Idem.*

Divina misericordia prodigium erga Regem Manassem.

Si quod umquam conversionis miraculum divina operata est misericordia, hoc sane in Manasse contigit. Duodecim annis natus Judææ thronum ascenderat, ubi ea omnia peccata patraverat, quibus per fas, & nefas Rex par esse potest. Non defuit impietas, crudelitas, & idololatria. Dei templum prophanaverat. interfecerat Isaiam, proprios filios manibus suis ad inanium deorum æras mactaverat: verbo, annos viginti natus tot scelera commiserat, quot nemo ex illis insignibus peccatoribus, qui ea ætate vivebant. Attamen Deus elegit Manassem, cui misericordiæ suæ gratiam conferret; illum ex adversa eruit fortuna, ut ad pœnitentiam revocaret. Primum quidem Assyriis traditur, ferreis oneratur vinculis, in teterrimum carcerem conjicitur; mox sua confitetur peccata, eaque amarissimis lacrymis eluit; morti damnatur, Deus illum ex hostium manibus eripit, atque Judææ solio restituit, ubi quinque, & quadraginta annos in jugi pœnitentiæ exercitatione traducit. O admirabile misericordiæ prodigium! quidnam post hæc requisitum etiam peccatores sperare non audeant? Attamen ne nimis huic confidatis exemplo. Manasses quidem veniam obtinuit. Amon vero filius ejus obtinere non potuit. *Sermo pro feria 7. post tertiam Quadragesimæ Dominicam cujusdam Anonymi.*

Nemini de divina misericordia desperandum est.

Nequissimus etiam peccator salutem suam debet sperare, dummodo consilium ineat ex scelerum suorum cœno emergendi. Cur autem desperet? O Deus, assequine possum animo hunc tuæ miserationis excessum? Numquam a me recedes, nisi quia ad te reverti noluero. Non irasceris amplius mihi; ex quo serio te ad lenitatem vocare studuero, omnium iniquitatum mearum oblivisceris, cum tibi persuasero, me vere concupiscere, ut earumdem ultra non reminiscaris. In te confidam, satis est, & mihi misericordiam pollicerisi; prohibes ne de tua bonitate desperem; ne desperem de salute mea; unicum illud scelus mihi dimittere non vis. quod commisero, existimans, te nolle omnia mihi peccata dimittere. Quid amplius facere posses, ut me ad spem in te collocandam compelleres? Te mihi inexorabilem non præbebis, nisi te mihi inexorabilem futurum credidero. *Liber, cui titulus: Animadversiones in varia Religionis, Ethicæque argumenta.*

Divinæ misericordiæ effectus est in nobis conscientiæ stimulos excitare, ut nos ad officium redire cogat.

Frustra veritas tegitur, ac dissimulatur: illa sæpe teipsum prodit; sæpe enim Deus loquitur ad cor, cum etiam homines silent; atque nos persequi dignatur, cum illum maxime fugimus. Ita olim a te sceleribus meis, ac sæculi hujus amore longius recedebam, Domine, S. Augustinus exclamat; sed quo magis recedebam, eo magis tu te mihi misericordi iracundia oferebas: *Aderas misericorditer sæviens.* Ita vos persequitur hic misericordiarum Deus, sive piis considerationibus, quibus turbamini, sive dubiis, quæ in vobis excitat; modo propter nimiam locupletandi celeritatem, modo propterea quod provinciam illam subiistis, cui regundæ pares non estis; modo propter mollem, ac voluptuosam vivendi rationem, quam sequimini, modo propter iteratas confessionum, lapsuumque vices, quæ meliorem vitæ nostræ partem constituunt: *Tu aderas.* Deus se vobis offert, ac vos persequitur ea bonorum jactura, quam vobis immittit, morbo, quos vos percutit, calamitate, quam vobis ciet: vos confirmat nunc pii viri exemplo, nunc adolescentis alicujus in ipso ætatis flore obeuntis interitu, sexcentisque id genus casibus excitat. *Anonymus pro Dominica Passionis.*

Dei misericordia nos ad pœnitentiam debet excitare.

Potiori jure sæculi hujus christianis dicere posset Sanctus Paulus Apostolus, quod olim Romanis dicebat: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* & misericordiam ejus novis te cumulantem beneficiis recentibus simul obligationibus onerare? ignoraane, nisi *Divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis*, acerbissimum scelerum tuorum dolorem respondere debere ei bonitati, quæ tibi eadem remittit? *Ignoras?* Quam ignorantiæ hujus causam afferre vales? quis scripturæ locus, quod prophetarum verbum, quod Jesu Christi oraculum, quæ figura, & parabola in sacris libris contenta hoc in errore confirmare te possunt? Vetus, ac nova lex te monent, quod te Dominus patitur, expectat, vocat, parcit, hac ipsa de causa, tibi confugiendum esse in lacrymarum affluentia, & amaritudine ad illius misericordiam, quemadmodum Judith divino animata spiritu olim civibus Betuliæ dicebat. *Ex Morali Dictionario, Sermone secundo de Jubileo.*

Jesu Christi misericordia eo processit ut mortis suæ scelus dimitteret.

Si quod umquam scelus venia indignum visum est, proculdubio fuit crimen Judæorum, qui Deum ipsum occiderunt. Cum S. Petrus illis facti hujus horrorem ob oculos posuit, Scriptura narrat, ipsos etiam hoc scelus perhorruisse: *Compuncti sunt corde.* Act. 2. Et S. Augustinus addit, adeo enormis criminis repræsentationem tantam habuisse vim, ut illos ad desperationem posset adigere, quam ob causam S. Petrus illos consolatur, & excusat dicens compertum esse sibi, quod per ignorantiam peccaverant: *Scio quia per ignorantiam fecisis.* Attamen cum infirmi illi ita in desperatis essent, ut indigentes Deo, a quo sanarentur, tamquam phrenetici supremum hunc medicum interficerent, quid evenit? evenit ut admirabili misericordiæ prodigio, quod

quod nemo mortalium sibi fingere poterat, medici sanguis pro ægroto effusus illi fieret medicina. Supremus hic medicus adeo potens est, ut post mortem seipsum resuscitare valeat; adeo bonus, & misericors est, ut ipsam mortem suam in eorum, a quibus cæsus fuit, medicinam convertat. Quamobrem, ut S. Augustinus in Psalm. 61. de primis illis Judæis inquit, conversi ad illum, quem occiderant, confecuti sunt veniam criminis, quo illius sanguinem fuderant: *Liber qui inscribitur: Christiana Rudimenta in duodevigesima post Pentecosten Dominicam.*

Præsumptio, ac falsax confidentia in misericordia Dei.

Tamtane in se ipsis fallendis pollent industria mortales, ut errorem esse putent credere a Deo puniri peccatum, quo unico momento peragitur, ea pœna, quæ in omnem duratura est æternitatem? Hanc autem fallacem confidentiam præsumptione plenissimam in divina quidem bonitate, sua vero imbecillitate constituunt. Inquiunt Deum infinite bonum esse, & *Patrem misericordiarum*, peccatum exiguum quid esse, cum vero, a quo patratur, plenum esse ignorantia, & infirmitate circumdatum; ideoque fieri nequaquam posse, ut hac severitate in eam animadvertat Dominus creaturam, quæ tot rationibus excusatur. Hoc pacto illi se ipsos contra te Deus tuentur; sed vi omnipotentis verbi tui audacissimos hosce peccatores confunde. Tu aliquando damnationis eorum causam ex iisdem principiis educes, quæ proferunt, ut sibi in sceleribus suis fucum faciant. Dicunt te infinite bonum esse, sed ergo illos infinite justus eris: arbitrantur peccatum suum rem parvam esse; at verum est infinitam esse illorum nequitiam: ajunt peccatorem ignarum esse, ac infirmum; at certum est pertinacem esse, ac obduratum. Ita justitiæ tuæ æquitas, enormitas peccati, & peccatoris pertinacia postulant, ut in illum animadvertas eo modo, qui huic æquitati, pertinaciæ, & enormitati respondeat. *Auctor Anonymus.*

Confidentia in misericordia Dei non semper est charitatis effectus; non modicam ibi partem obtinent amor proprius, atque cupiditas. Speramus aliquando, quia timere molestum est; ideoque nos admonet Scriptura, *Ne dicas, miseratio Dominii magna est.* Vult nos propter ea etiam timere peccata, quorum veniam nos consecutos esse arbitramur, & beatos dicit, qui metunt semper: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Proverb. 28. Blanda hæc, & audax confidentia inde proficiscitur, quod peccatorum nostrorum horror imminutus est. Si nos ita eorum pœnitet, ut illa toto vitæ hujus spatio lacrymis eluere adniteremur, uti oporteret; non alibi ullam perciperemus voluptatem, quam in hac pœnitentia. Non video quid majori nos mœrore confiteri debeat, quam quidquid in nobis lacrymarum pœnitentiæ fontem exhaurit. Verum quæso cuinam rei confidimus, cum sine metu tantum sperare volumus? Numquid piis operibus nostris? Heu! sæpe nescimus quo spiritu ad illa capessenda ducamus: Quis autem nobis spopondit peccata nostra jam dimissa fuisse; dolorem nostrum fuisse sincerum, & effectum charitatis, postquam pœnitentiæ consilia toties inita toties mentiti sumus? Justitia Dei nobis æque metuenda est, ac in ejus misericordia speramus. *Idem.*

Spes, ac pœnitentiam in Dei misericordia.

Pater peccavi in cælum, & coram te. Hæc ea sunt, quæ a me dici possunt: utique, peccavi, non inficior, & in hac confessione meam salutem inquiro. Fateor me mortalium omnium ingratissimum esse; peccavi; ne exprobres mihi ultra flagitia vitæ meæ, exprobrationes tuæ superare nequeunt illas, quibus me cor meum torquet: peccavi. Ita est, Pater mi, peccasse me fateor; me perdere potes; hoc meritus sum. Verum cogita, quod filium ad tuam confugientem misericordiam, opus manuum tuarum, sanguinisque tui pretium perdes. Hæc una cogitatio iram tuam flectere potest; cumque mecum reputo, quanto tibi stem pretio, quamvis nocentissimus sim, facere non possum quin veniam sperem me consecuturum. Ita est, Salvator amabilis cum te video in cruce pendentem, numerus, & enormitas peccatorum meorum dolorem quidem auget meum, at confidentiam in tua misericordia non minuit: *Propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Ps. 24. Quantuscumque sit iniquitatum mearum numerus, tu plura quam debeo pro me solvisti, & audeo dicere, numquam magis triumphare misericordiam tuam, quam nefariis peccatoribus parcendo. Justa ira tua, Pater Æterne, prope est, ut in ingratum detonet caput, neque me intueri potes nisi oculis plurima indignatione suffusis: verum sine, offeram tibi charissimum filium tuum, in quo bene complaces tibi: *Respice in faciem Christi tui.* Ps. 83. Potestne iram tuam non lenire hoc divinum objectum? Videsne faciem hanc pallentem, caput spinis coronatum, pedes, manusque confixas, totum adorabile corpus laniatum, totumque pretiosum sanguinem effusum; Hoc animæ pretium meæ, hoc salutis meæ pignus, victimam hanc pro me immolatam offero tibi; hoc propitiationis sacrificium, quod ipse pro delictis meis offert, numquid hæc tibi satisfacere poterunt? *P. Croiset tomo 1. Recessus pro una die in mensibus singulis.*

Mirum est, quod peccatores abutantur misericordia Dei ut illum offendant.

Nonne mirum est, eo quod Dominus facilis est ad bene faciendum, peccatores adeo promptos esse ut malum illi rependant? quod facile peccata dimittit, eos inde occasionem arripere in peccatis perseverandi? quod patiens est injuriis, illos adeo insolentes esse, ut quotidie recentibus illum lacessant contumeliis? quod in gratiis, & beneficiis suis magnificus est, eos illi contumelias, & convicia rependere? quod erga mortales bonus est, homines adversum illum esse adeo malos? quod denique opera bonitatis ejus majora sunt operibus potentiæ illius, opera naturæ illorum quodammodo ab operibus nequitiæ eorumdem superari? O Deus! S. Hieronymus admiratione, ac terrore plenus exclamat; fingine potest arrogantia magis terribilis, magisque patens ingrati animi vitium? *Liber, qui inscribitur: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Mira peccatorum ingratitudo qui Deum erga se misericordem lacessant.

Jure in scripturis Peccatores vocantur insipientes, hominesque ratione carentes, eo quod ne momento quidem cessent, quominus lædant illum, qui ne momento quidem cessat, quominus illi amoris, & clementiæ præbeat argumenta. Cogitare ne possunt, se ab æterno in amantissimi hujus Dei conceptu fuisse; cumque ab illo crearentur, augusto divinitatis ejusdem charactere insignitos fuisse; ab illo factos, ut felicitati, gloriæ ipsius participes fierent; illum erga eos, qui sæpe meriti fuerant severissimas divinæ justitiæ pœnas, maxima usum fuisse misericordia; potentiam illius in eorum gratiam ex nihilo creata omnia eduxisse; omnia denique bona, quibus illi fruuntur, non aliud esse quam benedictiones, quibus ipsos ejus prævenit misericordia, & dona, quæ divina bonitas multiplicare videtur, illis interim scelerum suorum numerum augere conantibus? Verum si ingratissimi tot tantisque non moventur beneficiis, nonne dicendum est diabolicum illis inesse cor, quandoquidem illos non vincit infinitus amor, quem hic misericordiarum pater, ac totius consolationis Deus illis testatus est, tradens filium unigenitum ut esset reconciliationis eorum victima, eisque veniam mereretur? Quid! animum adjicere possunt, ut tanta cum indignitate hunc Deum misericordiæ, & bonitatis excipiant, quin vereantur, ne justitia illius ipsum ultra in eos fulmina jaculetur? *Idem.*

Actus confidentiæ in misericordia Dei.

Certa veritas est, inquit Apostolus, & summo cum obsequio recipienda, Jesum Christum venisse in mundum, ut salvos faceret peccatores, quorum me principem esse non diffiteor. Magna profecto sunt crimina mea, ac numero cœli sydera, marisque arenas excedunt; sed ille, cui me sistere debeo, Deus est, cujus misericordia super omnes cœlos attollitur, & qui miseratione plenus est erga eos, qui invocant illum. Ad hæc scio, Salvatorem mundi venisse, ut peccatores, non justos vocaret ad pœnitentiam, atque pro his a Deo gratiæ thronum constitutum fuisse. Hoc pacto si meorum scelerum me exanimat cogitatio, throni hujus adspectus me consolatur, atque confirmat: si justitia ejus, qui posuit illum, me terret; venia, quam offert mihi, cordi meo pacem reddit, ac tranquillitatem. Fateor indignum me esse, qui ad hoc misericordiæ tribunal accedam; attamen nonnisi fidenter accedendum est, quia super illud sedens per os Prophetarum, sanctumque Evangelii sui verbum me accersit. Tandem ex his omnibus considerationibus adeo perfectam confidentiam concipio, ut licet peccatorum meorum numerus, & magnitudo, licet conscientiæ meæ exprobrationes, & animæ mœror meæ, nec non omnes dæmonis conatus, obiceique me terreant, ad sacri hujus throni pedes me prosternam. *Idem.*

Multitudo peccatorum, imperfectionum, malorumque nostrorum Dei misericordiam commendat.

Quid vita nostra est nisi inobedientiarum, ac infidelitatum congeries? nisi series non intermissa prævaricationum legum sanctissimarum? Qualibet in occasione offenderis, Domine, factis, verbis, cogitationibus, negligentia, attentionis defectu, languore, tædio, & oscitantia, qua muneribus nostris defungi conamur. Heu! quid non parit in nobis cordium nostrorum nequitia! quousque naturæ nostræ corruptione pertrahi nos patimur? Denique iniquitatibus nostris, tamquam vero diluvio fumus submersi. Nihil in nobis est, quod corruptum non sit, & flagitia nostra, ut loquitur Propheta, Ps. 87. supra caput nostrum se attollunt. Attamen tua, Domine, misericordia eo procedit, ut dummodo vera pœnitentia, sincera conversione, acerboque dolore, eo quod vias veritatis quidem reliqui-

mus, mendacii vero secuti sumus, ad nos revertamur; hic reditus, hæc mutatio auferat arma dexteræ tuæ, quam jam extuleras, ut nos percuteres, & loco severæ justitiæ tuæ nihil inveniamus in te nisi tuæ misericordiæ, ac bonitatis argumenta: *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in S. Matthæum.*

Divinæ misericordiæ effectus est sinceræ peccatoris pœnitentiæ acquiescere.

Si post primum a nobis patratum scelus nobiscum egisset Deus, uti olim cum Angelis, qui simulac peccarunt præcipites in infernum dati sunt; heu! quid nobis accidisset? Verum cum nobis adeo facile, ac præsens remedium præceperit, quale pœnitentia est, quænam gratia est, quænam bonitas! Videte, S. Ambrosius ait, pœnitentiam, quam mundus quotidie imponit affectis suis, quamquam nihil omittant, ut illi placeant, ejusque mandata sequantur. Avaro præcipit, ut omnibus sese pelagi periculis objiciat; ex illo labores exigit, vigiliasque noctu, & interdiu; nobis vero, potiquam adeo impotenter læsimus Deum per legum ejus contemptum, quam injicit pœnitentiam ut peccatorum nostrorum veniam obtineamus? Jubet nos ingratitudinem, ac insolentiam nostram fateri, dolere, quod illum offendimus, & consilium inire impositorum non lædendi, denique reddendi cor nostrum quod illi eripuimus, ut turpem voluptatem, levemque illi quæstum anteferremus. Quodnam pœnitentiæ hoc genus est, Domine, admissi criminis dolore teneri! Æquus homo potestne, quin doleat, cogitare, se prima rationis lumina deseruisse? illatam a se Deo injuriam detestari! Potestne Creatura probare facinus Creatori suo contumeliosum? Reddere cor nostrum Deo, quasi cor nostrum extra centrum suum pacem, ac requiem posset invenire; quasi extra illud cor nostrum tumultu, perpetuaque agitatione posset carere. O Deus! quam magna est bonitas tua, quandoquidem tantam cum illis etiam, a quibus læsus fuisti, misericordiam exerces? quam vero mercedem expectare non debent fideles famuli tui, quandoquem pœnitentia, quam tuis præceptis inimicis, tantam habeat suavitatem? *P. Gegou in libro qui inscribitur: Usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Spes divinæ misericordiæ perficit peccatoris conversionem.

O Deus, quam amabilis est misericordia tua! eo tempore, quo tui obliviscitur peccator, & longius recedit a te, te propius ad illum accedis. Salubres considerationes, quas prodigius filius facit de statu miserо ad quem redactus est; sensibilis comparatio, quam inter eum statum instituit, quo paterna in domo fruebatur, & eum, quo procul a domo torquetur: denique hic reditus in seipsum, est gratiæ tuæ effectus, idque eo tempore, quo per impietatem, ac pertinaciam se eadem maxime indignum præbuerat. Felix illud momentum, quo peccator supernaturalis hujus luminis ductu errores, evagationesque suas detegit, & per otium suæ servitutis indignitatem agnoscit! *Pater Croiser, tomo 2. Recessuum.*

Modus: quo Deus excipit peccatorem ad se redeuntem, illius misericordiam ostendit.

Quot servi sunt in domo patris mei, quibus affluenter suppetit panis, prodigus filius inquit, ego vero hic fame pereo! Quis peccator, quis impius hæc eadem usurpare verba non debet? Heu! minimus servorum Dei bonis est cumulatus, suavi tranquillitate perfruitur, dierum suorum finem fidenter expectat, dum interim peccator vitam suam in jugi tumultu traducit, & in desperatione eidem finem imponit: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Luc. 15. Jacta jam alea est, discedam, & ad Patrem me conferam: o sapiens consilium! o felix sententia! Spei radius inter conscientiæ tumultus affulgens perficit opus conversionis. Non possumus oculos in Deum nostrum convertere, quominus in eo inexhaustum bonitatis, & misericordiæ thesaurum inveniamus. *Idem.*

Modus quo prodigi filii pater inhumanum filium excepit, figura illius est, quo Deus excipit peccatorem ad officium redeuntem, divinamque misericordiam poscentem. Eminus semper misericordes oculos in peccatorem conjicit Deus, verum nonne faltem oris habitus ad severitatem compositus, exprobratio aliqua, salutaris correctio, aliquod doloris indicium peropportuna accidissent, immo necessaria fuissent huic adolescenti, qui omnem sensum abjecerat? Sed voluptas, qua pater perfruitur videns prodigum filium ad officium revertentem, ita occupat illum, ut non aliud tunc audiat, quam amorem suum, filiumque non ut læsus pater, sed ut pater amantissimus recipiat. O Deus quantæ tibi curæ est peccatoris redditum faciliorem efficere hujusmodi exemplis: nonne dici posset felicitas tua a nostra pendere, atque tua potius, quam nostra interesse, quod salvi fiamus? Attamen quotnam mortalibus invitationes hujusmodi amoris plenissimæ inutiles fiunt? Misericordiam tuam admirantur, & in sua nequitia persistunt. *Idem.*

Aliud etiam nobis suppetit divinæ erga peccatores misericordiæ exemplum in parabola Regis servo decem missis talentorum; quæ sibi debebantur, remittentis. Matth. 18. Princeps ille præceperat, ut summa severitate ageretur cum eo, ut ad æs dissolvendum impelleretur. Attamen servus sese ad Domini pedes projiciens, eum obtestatur, ut patientiam paulisper habeat, atque debitum ad extremum usque quadrantem se persoluturum pollicetur, quæ res dominum ita desinivit, ut illum impunem abire permiserit, eique debitum omnem dimiserit. Ita agis Domine cum nequissimis etiam peccatoribus, ubi sese te coram prosternunt, scelerum suorum pœnitentia ducuntur, enixis laborant precibus, ut sibi parcas, atque sinceræ pœnitentiæ operibus justitiæ tuæ satis se facturos pollicentur: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Illis præteritas remittis iniquitates fidem adhibens promissionibus, quibus se vitæ rationem, motesque mutaturos recipiunt: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Verum sæpe miseri quin fidem præstent, impœnitentiæ, & ingratitudinis tibi præbent argumenta, neque eadem lenitate, ac misericordia erga suos fratres utuntur. *Abbas Trappensis in Moralibus considerationibus in sancti Matthæi Evangelium.*

Quam miseri-cors sit Deus erga homines.

Primum infinita Dei misericordia prævenit homines, sive illis esse tribuens, sive illis gratiam communicans; secundo non fatigatur illos sua protectione confirmans, eorumque necessitatibus consulens, quin illorum ingratitudo ipsam dimoveat; atque ut scriptum est, solem suum oriri facit æque super malos, & bonos. Eos punire differt, cum per inobedientiam ac scelus gravissimas meriti sunt pœnas, ut illis pœnitentiæ tempus relinquat, quo peccata sua lacrymis, & austeritatibus delere contendant: *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*; denique in illis judicia sua non exercet, nisi cum illum sua cogit justitia. Eas vero misericordias, quibus cumulat illos, qui sui sunt, sibique inserviunt, quisnam dicendo consequi potest? Illos illuminat, excitat, attollit, tuetur, jugi gratiarum suarum communicatione consolatur. Oculi ejus aperti sunt omnibus eorum necessitatibus, donec in regnum suum eos vocat, sumque beatitudinis participes efficit. *Idem in Moralibus considerationibus in Evangelium sancti Lucæ.*

Deus misericordiæ suæ imaginem tribuit in eo modo, quo filium prodigum pater recepit.

Ostendis, Domine, infinitas esse misericordias tuas, & quin punias peccatorem cum adversum te se extulit, patienter expectas, donec ille errores agnoscat suos, & perhorrescens, abyssum in quam se præcipitem dedit, in cordis amaritudine ad te revertatur; atque sollicitet bonitatem tuam, illam urgeat, ac tandem inveniat in te paternam benevolentiam, qua se indignissimum præbuit. Hoc nos doces parentis illius exemplo, qui sinceram ingrati filii pœnitentiam, ac dolorem videns, quo conficiebatur, eo quod optimo patri displicuerat, illi obvius processit, apertisque ulnis accepit, eique osculum fixit in signum oblivionis, cui omnes iracundiæ causas tradiderat, & in pignus reconciliationis perfectæ, in qua nihil vel ex parentis, vel ex filii parte desiderabatur. Etenim quemadmodum filius melius non potuit, apertisque testatum facere dolorem, quem ob ingratitudinem suam conceperat; atque reditus sui sinceritatem, quam in cœli terræque faciem confitens indignum se esse, qui filius ejus vocaretur: *Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus*: Luc. 15. ita pater lætitiæ suæ magnitudinem melius non potuit exprimere, quam sollicitudine illa, qua illum stola prima indui, annulum in digito ejus statui, vitulum saginatum in cœnam mactari jubet, cum illo hilariter obsonaturus. *Idem.*

Dei consilium misericordiam cum hominibus exercentis.

Si nobis ostendis, Domine, misericordiam tuam nullis esse terminis circumscriptam, atque vias quasdam habere, quæ a nobis intelligi nequeunt, nequaquam id facis, ne justitiam tuam timeamus, atque intra nosmetipsos dicamus; peccavimus, verum quid triste accidit nobis? Sed e contra ut in nostra calamitate solatium aliquod habeamus, cum te ad iracundiam provocavimus, ut nos ad te inquirendum persuadeas prompta, sinceraque mutatione voluntatis, atque ut prohibeas, ne in desperationem labamur scelera nostra cum beneficiis, gratisque tuis, quas contempsimus, conferentes. Ut verbo me expediam, quid infinitæ bonitati tuæ non debetur? Corde nullis finibus circumscripto opus esset, ut responderemus misericordiæ, ac amori, cui nil umquam par est, & qui nil superius agnoscit.

Peccator in desperationem laberetur, nisi divinæ misericordiæ spes illum confirmaret.

Peccator pœnitens, qui post vitam in divinarum voluntatum contemptu transactam, ac iniquitates iniquitatibus superadditas errorum suorum diuturnitate, tandem agnoscit altitudinem abyssi, in quam se præcipitem dedit, in desperationem laberetur, nisi misericordiæ

diæ tuæ adspectus, o Domine, illi animos faceret. Cum vero scias, a te peccatores recipi, a te illis tendi manum, ut illos ex naufragio educas; tunc iniquitates suas incipit detestari; defectionem suam perhorrescit; edit omnia flagitia, quibus se abdidit, omnesque conatus, quibus cor suum par est, intendit, ut te ad misericordiam flectat. Ad te confugit, te sollicitat, urget, instat; cumque illum vides dolore confectum eo quod displicuerit tibi, tandem eam, quam petit, illi gratiam concedis. *Idem.*

Exhortatio ad divinam misericordiam implorandam.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum Dei, inquit Apostolus, *ut misericordiam consequamur*. Quamvis peccati lepra tecti essemus, meminerimus unicam veræ contritionis lacrymulam ad eam detergendam satis esse. Una dominici sanguinis gutta, inquunt Theologi, mortalium omnium criminibus expiandis sufficeret; tota vero adorabilis hujus sanguinis virtus, quæ nobis per pœnitentiam applicatur, nostra delere peccata non poterit? Non desunt peccatores, qui post gravia patrata scelera, in secretam decidunt divinæ bonitatis desperationem, ac in eam tristitiam, quæ mortem operatur, ut dicit Apostolus; qua tabescentes cœlum non audent respicere propter multitudinem peccatorum, quibus obruti sunt, & quæ velut gravis sarcina, illos terram versus incurvant. Hoc in statu Propheta, Ps. 41. dicebat animæ suæ: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.* Spera, quandoquidem potes adhuc nomen illius confiteri, & sincera conversione reparare malum, quod per scelus tibi conflasti. *In Specimine Sermonum pro quarta Adventus Dominica.*

Deus in misericordiam promptus est.

Quomodo loquitur Deus de parcendi, ac misericordiam exercendi desiderio, quo flagrat? Ait, se non venisse, ut justos, sed ut peccatores vocaret; se in cœlo cum omnibus Angelis suis gaudere, ubi videt peccatorem pœnitentiam agentem; se Pastori similem esse universum deserenti gregem, ut ovem deerantem inquirat. Animadvertite, auditores, præter studium illud, quo ipsum sua bonitas trahit, ut pœnitenti veniam conferat peccatori, hoc suum tamquam officium, ac necessitatem injicit sibi: cum dolore quidem justum punit a recta virtutis via deflectentem; sed cum alacri gaudio absolvit impium redeuntem, & gratia, quam illi confert, opus est suæ justitiæ simul, & misericordiæ. Et profecto cum generosus vir, qui afficitur contumelia, pedibus suis obvolutum videt eum, a quo lacessitus est, eumque sibi audit offerentem eas, quascumque voluerit, satisfactiones, ac veniam petentem cum omnibus sinceræ pœnitentiæ signis, potestne veniam negare, quin duri, injustique hominis notam subeat? Præsertim vero si qui lacessitus est pro supplicante laboret, atque intercedat. Pater vero misericordiarum, & Deus totius consolationis minori indulgentia cum filiis aget, quorum fragilitas semper cum improbitate mixta est, ipsum unigenito suo pro illis sollicitante; vulnera sua Patri ostendente; quæ sunt veluti ora disertissima, quæ pro illis aperit deprecaturus; adorabili ejus sanguine misericordiam ab illo deposcente eodem pacto, quo sanguis Abel ultionem petebat, atque inexplicabilibus Spiritus sancti gemitibus simul cum lacrymis nostris judicis iram flectentibus? Haud ita sane! jam hoc dixisti, Domine, te non despecturum cor contritum, & humiliatum; spiritumque pœnitentiæ amaritudine confectum expiatorium esse sacrificium, quo maxime ad misericordiam moveris. Ut pœnitentes salutari fiducia repleantur, ille, qui noster est judex, noster simul est advocatus, nec non habemus Pontificem, ut S. Paulus ad Heb. 4. inquit, omnia tentationis genera expertum absque peccato, ut paratior sit iis dimittendis criminibus, quorum illæ sunt causæ. *Abbas du Jarry Sermone pro Septuagesima.*

Quam in Dei bonitate, qui ad parcendum, ac miserendum adeo pronus est, confidentiam habere debemus; Ita est, o peccator, qui adhuc; quantumvis magni, ac inveterati sint animæ tuæ morbi, quantacumque sit nequitia, & pertinacia eorum scelerum, quibus fœdatus es; scias non alia ratione melius Deo placere te posse, quam temetipsum excitando ad integram in illius misericordia confidentiam habendam. Universalis hæc iniquitatis plaga in tuam effusa conscientiam; nefaria vita tua, quæ haud intermissa series est iniquitatum, ac scelerum, objectum est infinita Dei tui misericordia dignum. Hæc opus non habet alicujus rei in peccatore ad hoc, ut excitetur, ex semet eas invenit causas, propter quas indefectibiles suos thesauros aperiat: publicam hanc peccatricem, totius civitatis scandalum in veræ pœnitentiæ exemplar convertere cupit; hunc populi sui persecutorem, cædem, flammamque minitantem in vas electionis vult immutare; huic infideli discipulo, a quo per ignaviam negatur, Ecclesiæ suæ claves committere studet Jesus Christus ... Sanctam hanc confidentiam exquirebat Salvator in ægris omnibus, qui undequaque ad ipsum adducebantur a languoribus suis curandi, & quorum dimittebat peccata, dum morbis medebatur; hanc eamdem requirit ex peccatoribus, quorum infirmi illi, qui ab eo curabantur, erant figura. *Idem.*

Quem indignum sit in scelerибus perfidere, quia Deus bonus est, & misericors.

Quid! Tertullianus cum omni eloquentiæ suæ energia inquit; numquid ideo criminis locus est, quia locus est veniæ? facilitas, qua Deus peccata dimittit, ejus lædendi ansam præbebit? peccatum impudenter patrabitur, quia Ecclesiæ dimittendi illud facultas conceditur? & licebit a Deo recedere, quia ad illum redire licet? Pœnitentia, quæ peccati remedium est, per hominis improbitatem fiet ad peccandum illecebra? & patientia, qua Deus peccatum tolerat, ratio erit, propter quam scelera augentur? Divina clementia humanæ temeritati licentiæ prætextum, impietatis occasionem, impœnitentiæ causam præbebit? Ut verbo me expediam, nullis coercebitur cancellis iniquitas, quia nullis Dei misericordia continetur; & homo in nequitia infinitus erit, quia Deus infinitus est in bonitate? *Absit, ut redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcirco deterior fit, quin Deus melior; quoties ignoscitur, toties delinquendo.* Tert. de pœnit. cap. 6. *De la Volpilliere, Sermone de Procrastinatione pœnitentiæ.*

Oppositio, quæ inter Dei justitiam, ac misericordiam esse videtur, & quomodo simul conciliatur.

Si ulla in Deo inveniri posset oppositio, hæc sane contingeret propter duo hæc attributa, justitiam, & misericordiam, quibus prorsus oppositus finis inesse videtur. Justitia quidem peccatoris pœnas poscit; misericordia vero illius reconciliationem. Justitia adversatur, patrocinatur misericordia; hæc Deo dicit, ipsum misericordiarum patrem vocari, maximam ejus perfectionem esse misereri; & cum puniteo modo agere, qui ab ipsius bonitate est abnormis. Justitia e contra contendit, cum jura sua justa, & æqua sint, violari non posse, & satisfaciendum illi, qui læsus fuit. Pro misericordia stant prophetarum oracula Dei celebrantium bonitatem; misericors est, & patiens, ac dives in misericordia. Justitia vero eos prophetarum locos deprimit, qui terribilibus minis referti sunt, veluti cum inquiunt, Dominum esse ultionum Deum. Divina Sapientia huic præsens certamini omnem tollit oppositionem, & utrique parti satisfaciens, præcipit ut justa sit misericordia, misericors vero justitia. Hoc oraculum duas hasce adeo oppositas perfectiones conciliat, ita ut inter se fœdus æternum constituant. *Justitia, & pax osculatæ sunt &c. P. de Buc Theatinus in Adventus.*

Deus non diu expectavit antequam ejus sollicitationibus nosmet dederemus.

Diutius fortasse Dei vocem audire dedignati estis? deinde per otium deliberastis, utrum suavissimis, fortissimisque ejusdem illecebris obsequendum esset; cumque vobis persuasum fuit, nullum utilius esse posse consilium, quam vosmet illi omnino tradere, quot ille inferre debuit prælia, ut vos sequi cogeret vestri spiritus lumina? quot in crastinum, futurumque tempus dilationes? quot promissiones, & lapsus? quot anni obstinationis, ac perfidiæ; antequam bona fide, ad serio pœnitentiam ageretis? Tibi autem, Domine, tanta patientia fuit, ut adeo diuturnam, atque contumeliosam obtinentiam superares! Quidquid egi animum tuum avertere non potuit; persististi me persequens, evocans, sollicitans, amans. Me tuis imposuisti humeris, velut ovem, quæ erraverat; ut in pascua reduceres; ac in ea, quæ mihi restat, via te mihi offers, ut sexcentis modis virtutis exercitationem leniorem officias. Æquum igitur est, ut memet tibi totum tradam, ut adhæream tibi, tamquam ovis pastori suo, & ut per eam misericordiam, quæ me absentem revocavit, obtester, ne imposterum me ab oculis tuis deflectere sinas. *Tiberges die tertia Recessus.*

De Judæ desperatione, deque diffidentia divinæ misericordiæ.

Judam non scelus suum, sed desperatio perdidit; etenim sine desperatione patratum facinus illum damnare non poterat. Si Judas sperasset, peccatum illius prædestinationi ejusdem inservisset: si sperasset simul & proditor, & prædestinatus fuisset, non secus ac Petrus & prædestinatus fuit, & blasphemus. Sed hoc Petrum inter & Judam discriminis adfuit; quod Petrus semper criminis sui veniam speravit se impetraturum; at infelix Judas damnatus est, quia spem omnem abjecit, & nullam pro se ultra esse posse misericordiam credidit. Mediocres peccatores ut plurimum per præsumptionem in divina misericordia, nimiamque spem pereunt; at magni peccatores per desperationem intereunt. Illi nimiam, hi nullam spem habent. *Ex Manuscripto Sermone.*

SUPPLEMENTUM.

De periculo nullum utilitatem et Dei misericordia recipiendi.

DEus infinite misericors est, verum est: & infinita hæc misericordia satis refulget in ea bonitate, qua nequissimos etiam recipit peccatores, cum pœnitentia ducti ad illum contriti, fidentesque revertuntur. Non ita, Deus neque magno criminum numero, neque gravissimorum scelerum enormitate movetur, ut peccatorem reliciat, modo in eodem inveniat sincerum, ac supernaturalem dolorem patratorum flagitiorum; & in hoc magna illius renidet misericordia. Sed ubi videt, ipsam infinitæ hujus misericordiæ spem alere in peccatore propensionem ad peccandum, & amorem peccati, nonne divinæ interest justitiæ nullam pro eodem habere misericordiam?

Prov. 1. *Tunc invocabunt me, & non exaudiam: Mane consurgent, & non invenient me. P. Croiset in Asceticis Exercit. Tome 4.*

Effectus misericordiæ Dei.

Dei misericordia prohibere debet me in desperationem incidatis; sed te in desperatis habeo, dicebat magnus Dei servus, si illa tibi occasio est tuendi in impœnitentiam. Salvum te faciet Dei misericordia impellens te ad amorem Dei, & horrorem earum rerum omnium, quæ displicent illi. Salvos nos faciet nobis inspirans extremum criminum nostrorum dolorem, & confidentiam in bonitate Dei, quæ nos ad pœnitentiam adducit. En quinam esse debet affectus Misericordiæ Dei. Omnia ab illius bonitate spera, ne unum quidem diem differas pœnitentiam tuam. Singulis diebus detestare peccata tua, itemque singulis excita confidentiam tuam in ipsius misericordia, sed cave ne unquam in crimen vel levissimum incidas spe ductus, futurum ut veniam a Dei misericordia consequaris; nihil enim hoc magis illius justitiam irritat. *Idem. Tome 4.*

Ne lædamus Deum quia misericors est.

Caveamus quam diligentissime, ne simus in eorum numero, qui Deum lædendi occasionem arripiunt, inde, quod misericors est, Heu! Misericordiam illius lacessentes nobismet omnem spem conversionis adimimus, quia hoc unum Dei attributum delet peccatum. Sanctitas illum a peccato semovet; Justitia peccatum punire vult, potentia manibus illius fulmina ministrat: quare cavendum ne illius misericordiam excitemus adversum nos ab ea sumentes ansam ad Deum licentius offendendum: sed illam potius nos excitet ad nosmet celerius convertendos. *Schola Jesu Christi. Pœnitentia Auditore.*

Quis celeritate Deus misereatur liquet exemplo Manassis, Achab, & David.

Quis unquam in tertis nocentior fuit Manasse Rege Juda? Illius abominationes & scelera terribilia sunt. Veneficium, Magia, idolorum cultus, impudicitia, sævitia, injustitiæ, fuerunt dilectissimæ illius virtutes; neque hoc mirum erit illi, qui noverit, ipsum non, satis putans quod in toto Regno suo Dei veri vultum abstulerat, ut infamissimorum idolorum cultum subrogaret; nec satis, quod jugulaverat Prophetas Domini, suos etiam filios Dæmoni per ignem, juxta morem idolatrarum ævi illius, immolasse. Rex iste a Deo derelictus incidit in captivitatem, ferreis obruitur vinculis, in teterrimum carcerem conjicitur, & in summa infelicitate positus ad Deum incipit revertì. Elevavit vocem suam; ut effunderet gemitus, ac misericordiam flagitaret, & Deus misericordiæ audivit, atque exaudivit illum, pepercit ei, eum in solium avitum restituit, reddidique ei potestatem, quam vitia sua ab eodem abstulerant. Quis scelestior Achab alio Rege Juda, alio omnigenæ iniquitatis exemplo? Cultus Baal, Eliæ persecutio, cædes Prophetarum, sanguis Naboth, furores Jezabel uxoris ejus illum satis cognoscendum præbuerunt. Miser hic quadam die se humiliat ad vocem Prophetæ sibi minitantis; dolore conficitur, & mœret; induit se cilicio, ambulat oris habitu cordis contritionem ostendens. Fragilis, & fluxa devotio, non diu permansura: fuit tamen jucunda Deo, obtinuitque ab eo pœnarum sibi imminentium dilationem. Quæ gravior scelera, quam quæ David operatus est? Duplex adulterium & alterum quidem proditione, & innocentis nece cumulatum. Hactenus fuerat Propheta, & Sanctus, sed quo magis illi faverat Deus, eo gravius erat illius crimen. Quæ enim ingratitudo fuit hominis Deo ita chari! Quod scandalum videre sanctum Regem repente in tot vitia præcipitem; sed quænam mortalium omnium admiratio illum intueri annum integrum in sceleribus suis obstinato animo commorantem; annus quippe integer, vel circiter elapsus est, antequam resipisceret, & ageret pœnitentiam; & jam adulterii fructus in lucem prodierat, cum Propheta Dei nomine, ac jussu illum adlit allocuturus. Opus est igitur Propheta, & extraordinaria missione, ut ad officium revocetur. Loquitur Propheta, & hunc Rex audiens redit ad se, sumque scelus confitetur. Unum dumtaxat profert verbum: *Peccavi*; ac statim Propheta Dei nomine subjicit: tibi pepercit Deus, idque sine mora, sine temporis dilatione, sine amoris reprehensionibus. Ita celeriter Deus peccatoribus parcit, nonnisi lente, ac sero ad ipsum revertentibus. *Recens Auctor.*

David in Psalmis Dei misericordiam extollit.

David in Psalmis Dei misericordiam extollit, tamquam præcipuam causam suæ in illo confidentiæ, licet scelerum gravitate, ac numero obrutus esset; immo etiam ipsam peccati sui gravitatem desumit pro causa, peculiari ipsius confidentiæ; *Propitiaberis peccato meo, multum est enim*. Quasi dicere, Infinita, Domine, est misericordia tua, & audeo dicere nihil tibi esse honorificentius, majoremque adstruere tuæ magnitudinis, infinitæque tuæ potestatis conceptum, quam immensa tua misericordia; *Miserationes ejus super omnia opera ejus*. Nihil vero aptius est ad hanc bonitatem offendendam, quam venia, quam mihi largiris peccatorum meorum licet numero carentium. Patet, Prophetas, potissimum vero David admiratos esse, ac indefinenter energeticis loquendi modis super alia Dei attributa celebrasse Dei misericordiam eo quod hic dignatus est induere humanitatem, ut homines per mortem suam in Cruce redimeret. Et profecto Incarnatio, & Redemptio sunt incomprehensibilia mysteria, & ad confidentiam, atque pœnitentiam nostram excitandam aptissima. *Exercit. Asceticæ P. Croiset Tom. 2.*

Quibus mediis uti debet peccator ad implorandam Dei misericordiam.

Cum sit nobis persuasum in Cælesti Jerusalem omnia esse munda, & nihil coinquinatum illuc esse ingressurum, neque illuc a Deo admissum iri, qui perfecte cum illo, & cum proximo non redierit in gratiam; quid faciendum est nobis, qui plurimis obruti sumus criminibus, nisi Dei misericordia imploranda, & clamandum in amaritudine cordis vere contriti, & sincere humiliati; *Domine non intres in Judicium cum servo tuo*? Conjice Domine oculos in deformatam Filii tui faciem; in illo plus est pretii, quam opus sit pro peccatorum nostrorum remissione; habet illa, unde populum suum ab omnibus redimat iniquitatibus. Adimple, Domine verbum illius; præsta fidem eorum, quæ ille nobis pollicitus est, præcipiens ut tibi dicamus; dimitte nobis debita nostra, sicut dimittimus debitoribus nostris. Divinæ illius promissioni tota spes nostra incumbit; eaque freti audemus ad solii tui pedes accedere misericordiam tuam impetraturi. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Psalm. 142.

Quid Profecit Moyses qui semet divinæ oppositit iracundiæ.

Quæritur cur Deus dixerit Moysi: *Dimitte me, ut irascatur furor meus*; & meæ parcam indignationi populum hunc ingratum, ac fidelem delendo. Quia Dei misericordia, quemadmodum pro peccatoribus contra ejusdem justitiam perorabat. Deus vult parcere, sed orari vult. Dixit Moysi Deus, *Dimitte me*, hoc est, Theodoretus inquit, quasi tacite alio in sensu illi diceret: precibus cohibe furorem meum. Nen diceret ille, *Dimitte, ut irascatur*; irasceretur enim, nisi parcere vellet. Deus Moysi dicens; *Dimitte me, ut irascar*, præbet illi occasionem, & ciet in illo desiderium orandi; eidem significans vim, quam preces haberent, quas effusurus ille erat pro populo. Agnoscamus hoc in loco potestatem, efficientiam, addo etiam necessitatem, quæ nobis est, orationum Sanctorum, & funestam ploremus hæreticorum excitatem, qui Sanctorum intercessionem, & communionem negantes, misere semetipsos orbant maximo, ac validissimo vitæ hujus subsidio. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tome 2.*

De fallaci confidentia in misericordia Dei.

Si magna Dei erga peccatores misericordia magnum his est confidentiæ argumentum non debet illis esse causa in sceleribus suis permanendi. Nihil perniciosius, nihilque nocentius, quam fallax confidentia. Misericordia non salvat eos, quibus est damnationis causa? In quo Dei misericordia potissimum elucet? In inspirando peccatoribus sincero pœnitentiæ desiderio; quia hic effectus est divinæ misericordiæ: sed manifestum est argumentum, nullam adesse amplius pro homine misericordiam, cum eadem abutitur homo tamquam ratione propter quam ipsum non pœniteat. Debet quidem misericordia illi confidentiam inspirare, sed confidentiam a pœnitentia inseparabilem. Nequitia longius procedere nequit, quam abutendo bonitate Dei, patientia Dei, misericordia Dei, ut quis in sceleribus suis perseveret. Quia bonus est Deus, ego tranquille volo esse nequam, quia Deus est misericors, illi contumeliam inferre volo impune; patiens est, metuendum mihi non est, ut illius patientiam fatigem; cumque ipse læden-

lædendo illum fuero delassatus, minus nequam ero, illius rationem habebo. Impie, intelligisne quantum nequitiæ, & impietatis insit fallaci huic confidentiæ! Intellige utrum sit, non dicam justitiæ, sed audeo dicere, honoris Dei summa cum severitate scelus adeo horrendum puniræ, quod in obstinatione sua ceterorum omnium, ut ita dicam, improbitatem complectitur. *Idem. Tome 4.*

Pœnitentia non est differenda ne misericordia fatigetur.

Diu sustinet Deus populi delicta; sed illius patientia delassanda non est. Deus illi constituit terminos quoscumque vult, & post statum peccatorum numerum, non parcit amplius; novissimum peccatum tandem efficit, ut decidat fulmen, quod tandiu fuerat suspensum; & ostendit Deus, si aliquandiu dissimulaverat, non ex ignorantia, sed ex bonitate illius hoc accidisse, quandoquidem peccatoribus relinquere voluit spatium pœnitentiæ, ac ad se revertendi. *Tourneux in anno Christiano. Tomo 10.*

Dei misericordia erga peccatores.

Deus antequam præbeat aures justitiæ nos insimulanti, quoties suam consulit clementiam? Videt nos in vitiam proruere; statim quidem nostri miseretur, potiusquam nobis irascatur; multoque magis animam nostram diligit, quam nostra oderit crimina. Audit murmur mundi, cui scandalo fuerunt scelera nostra, diuturnum servat silentium; nosque ad pœnitentiam expectat. Nos videt tardos, ac duros, sine animo, & sine motu, ut ex nostris sordibus emergamus, nosque suis excitat gratiis. Efficit, ut circum nos, & in nobis sexcenta inopinata suboriantur subsidia, ut nos ad se pertrahat. Videt nos post pœnitentiam, immo etiam post veniam in pristina labi flagitia; neque ideo tædet ipsum nostræ fragilitatis, & quoniam agnoscit nos fragiles, inconstantes, & mutabiles usque ad mortem, nos patitur, nos invitat, nos ad mortem usque sollicitat. Quod erga singulos peccatores facit, facit etiam erga populos, ac gentes pravas. Quonam percitus erat furore adversus Sodomam? Decreverat jam omnia in cinæres redaturum, cives cum civitate. Tamen precibus Abrahæ delinitus, decem duntaxat quærebat justos, ut ceteroram misereretur. *Non delebo propter decem.* Decem justi in corde illius æquiponderabant iniquitati populi totius nequissimi. Eheu! quantum egemus hac oppositione clementiæ illius torrenti furoris ejusdem. Si Deus celeriter, & sæpe in nos pro meritis nostris animadverteret, numqui satis unimum in cœlo reperiretur? Nostrorum sufficiorum fulgor nonne jampridem Sodomæ, & Gomorrhæ memoriam delevisset? Tamen adhuc vivimus peccatores, & impunes. Ad id autem bonitas illius quonam pondus objicit justitiæ ipsius? Non punit, nisi tamquam Pater non sine lacrymis, & mœrore, sciens nocentem sui ipsius esse partem. Nostris rebellionibus actus ad nos inimicorum instar habendos, obliviscì nequit nos fuos esse filios; & sicut Isaias ait, ubi vult reparare injurias, quas illius effecimus justitiæ, dolet se ad id per scelera nostra adactum fuisse: *Consolabor super hostibus meis*. Pœnas repofcam, & ulciscar; sed heu! illi peribunt. Post hæc si patimur, si miseri sumus, & in hac, & in æterna vita; nonne hoc nostra accidit culpa, qui per nostrum non patimur scelus iracunda Deum ponere fulmina? Nonne verum est, si quid nobis inferri mali, hoc invitum inferre? *P. de la Rue in Quadragesima.*

Genes. 11.

Isaiæ 55.

* Dei misericordia fortius agit in peccatores qui nocentiores sunt, & obstinatores.

Videmus aliquando in rerum natura, causam aliquam vehementius agere in objectum quod maxime distat quam in proximum. Ita exempli gratia Solem videmus agere, majoremque calorem ciere in terra, quam in media aeris regione; ejusdemque ardores in regionibus etiam hyperboreis tantos esse, ut nonnumquam nemora ipsa, saltusque combutat. Ita nihil est, quod melius valeat potentiam, & Dei bonitatem attollere, quam effectus, quos sancta illius gratia, & amor illius parit in gelidis cordibus, omni scelerum generi addictis, quod cum in lucem proferat infinitas illius miserationes, debet magis, magisque inflammare peccatores ad spem in immensa illius bonitate fovendam. Et sane hoc Regius Propheta perfecte assequebatur, cum hanc ipsam Dei urgens misericordiam, ut sibi criminum veniam largiretur; illum hac prece obtestabatur. Domine, ajebat ille, magnus peccator sum; & scelera mea eo pervaserunt, quo vix cogitatio pervenire potest; sed hanc ipsam ob causam mihi parcere debes, & mihi spes est, te mihi gratiam hancesse largiturum; nam alioquin quid prodesset misericordia tua, si careret actione, exteriorique effectu in sua objecta, & materiam, quæ sunt nostra peccata, & calamitas nostra. Verum potesne bonitati, ac omnipotentiæ tuæ majorem fulgorem, decusque tribuere, quam gravissimis sceleribus nostris parcendo? *P. Antonius de Santo Martino a Porta, in libro cui titulus*; Lex conduites de la Grace.

Dei misericordia contemnitur efficit justitiam severiorem. Tob. 3.

Job 31.

Ps. 77.

Sophon. 1.

Cur utatur Deus tanta patientia erga peccatorem.

In peccati punitione duo possumus considerare, correctionem illius, qui plectitur, eruditionem populi. Punitio eo præstantior, ac mobilior est, quo magis est libera, & minus coacta; & quo sublimius, divinisque habet objectum. Si Deus statim post patratum scelus puniret, quod in obstinatione sua ceterorum omnium, ut ita dicam, improbitatem complectitur. *Idem. Tome 4.*

Lex Numinis dolor a Dei amore debet profisci.

Dei justitia eo gravior, quo lentior.

Pœnæ, quas reposcit Deus, postquam diutina usus est patientia plerumque graviores sunt triplici ex causa: 1. propter pœnæ gravitatem; 2. propter temporis circumstantias; 3. propter conditionem punientis. Quod pertinet ad temporis circumstantias, si Deus tollere vult peccatorem in ipso voluptatum suarum actu, in maxima, & dulcissima suarum deliciarum inopina morte, & illo minime cogitante; hæc ultio est, quæ reliquis videtur insignior. *Idem.*

Dei misericordia apparet etiam in modo, quo percutit peccatorem.

Dominus in ira sua sæpe reminiscitur misericordiæ suæ; hanc quippe in illos etiam exercet, quos severissime punit. Reproborum in inferno pœnæ nondum criminum eorumdem enormitatem exæquant; sed in hac vita præsertim divina misericordia divinæ præstat justitiæ? Omnis terra, Propheta inquit, plena est misericordia Domini. Peccatores ipsi nonnumquam satis hoc norunt. Potissima causa diligendi Deum, eique inserviendi in corda ipsorum corrupto evadit ratio illum audacius offendendi. *Indulsisti genti; numquid glorificatus es*? Dominus bonus est, liberalis, indulgens, misericors. Libenter in ipso hæc attributa inveniri fatemur. Quorsum autem? Ut illis abutamur, ut nobismet in sceleribus nostris polliceamur impunitatem. Abominabilis dispositio! chimerica audacia! Cur? misericordia ne Dei in illo est assensus peccato! Nequaquam; illum in hac vita punit modo per tribulationes & in hec etiam misericors est, hæc enim sunt peccatoribus conversionis excitamenta; modo per gratiarum subtractionem, & in hoc magis adhuc divina elucet misericordia, quia adhuc in peccatorem satis gratiarum relinquit, ut sese convertat. Quandocumque igitur Dominus sua utatur misericordia in hoc mundo, jus suum numquam amittit justitia, & peccatum impune abire non potest, *P. Segneri in Meditationibus.*

Quemadmodum abusus divinæ misericordiæ abutentem afficit nequiorem: ita recordatio misericordiæ toties contemptæ ipsa ultionum die iram Domini exacuet: *Cum iratus fuerit, misericordia recordaberis*. Indicia, quæ subinde nobis præbet Deus indignationis suæ proprie non sunt effectus iræ suæ. *Nunc non infero furorem suum*. Hoc tunc erit primum, cum agnus repente fiet Leo furens, cujus rugitus universum orbem perterrefacient. *Viam fecit semitæ iræ suæ*. Tunc frustra implorabitur infinita hæc misericordia, qua adeo superbe ac toties mortales abusi sunt. Iracunda tamdiu dilata eo vehementius erumpet, quo magis causa, qua antea cohibebatur, tunc illam excitabit, ideoque juxta Scripturæ verba, illa erit iræ dies. *Dies ira dies illa. Idem, ibidem.*

Dei longanimitas efficit, ut diu scelus impune patiatur multiplici ex causa, quarum singulæ peccatoris animam perterrere magis possunt, quam illi securitatem immittere. Primum supplicii dilatio satis ostendit, Deum de reo suo esse securum, se vis æternæ subsidio; & reum de omnipotenti manu Dei elabi non posse, ubicumque placuerit Deo infelix ejusdem fatum statuere. Secundo, quodcumque momentum quo Deus affert peccatoris pœnam, recens est gloriæ suæ incrementum. Etenim per hoc divina patientia toties temere irritata, videtur proculdubio sola ipsius majestate digna: *Patiens redditor*. Per hoc peccator tandiu expectatus, toties multifariam ad pœnitentiam excitatus, omni caret excusatione. Denique Dei tarditas in puniendis peccatoribus illos omnino persuadere debet, in hac etiam vita, ipsum nullo actum affectu operari: ipsum suam cohibere iracundiam, ut nocentibus permittat illius mulcendæ spatium; & justitiam suam, quodcumque jus habeat aliquando exercendi omnem severitatem suam contra illos, tamen non minimum de suo jure concedere. Quænam desperationis causa reprobis hæc erit persuasio! Patiens hic Deus eo usque ut tulerit me, qui tandiu sua abusus sum misericordia, & qui eamdem ipsius patientiam mihi in illius offendendi causam converti, Deus hic adeo tardus ad puniendum, qui toties mihi obtulit veniam, qui tantum mihi temporis spatium concessit, ut ad clementiam suam confugerem, ille est, qui hodie æternis me damnat supplicis.

pliciis! Heu! evitemus hunc recentem infernum flammis devorantibus crudeliorem. Deus Pater est, cujus bonitas semper retardat supplicia, quæ statim culpam subsequi deberent? Quinam esse deberet misericordis hujus consilii effectus, si veri ejusdem filii sumus? Debet in nobis ciere timorem maximum, ne illum amplius lædamus, & celerrimam criminum patratorum pœnitentiam. Quinam iugratitudinis, & corruptionis excessus in homine tua abuti misericordia, Domine, ut audacius te offendat, & tamquam nequitiæ suæ causam prætexere bonitatem tuam? Numquid ignoras in peccatore sacrilegum hunc abusum patientiæ tuæ? Haud ita quidem, immo neque ejusdem sensu cares. Sed bonitas tua semper major est nequitia nostra. *P. Segneri in Meditationibus.*

Quia Deus bonus est, & tardus ad pœnas homo audacior est ad culpam.

Si homines statim post patratum scelus, illius pœnas darent, ne tot quidem occurrerent peccatores. Aspectus celerrimæ ultionis Dei, illius etiam lædendi cogitatio illos perterreret. Sed eo quod tardus est ad puniendum Deus, quod tolerat, tacet, diffimulat, homines magis magisque insolescunt, ac fiunt audaciores: *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Quid monstro similius est; esse impium, quia Deus bonus est! Merito Sapiens hujusmodi ingratos, filios hominum vocat, neque enim esse possunt filii Dei, cum tanta audacia divinæ insultent bonitati. Filii sunt perditionis, reprobi sunt, qui suæ subscribunt sententiæ, antequam annulo Judicis fuerit confirmata. *Idem, ibidem.*

Eccli. 8.

Deus ad puniendum tardus est, sed ultio ideo erit terribilis.

Cum Evangelici præcones nobis aperiunt mala diversa, quibus Deus in peccatores animadvertit; impius hæc tenus fellx dicit intra se: Peccavi, & nihilominus tandiu in meis permansi iniquitatibus: quam inde passus sum calamitatem? Perfecta valetudine fruor; multa mihi bona sunt, amici, auctoritas, gratia: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* Non vides igitur peccator, Deum esse, testem, Judicem, ad ultorem tuarum iniquitatum, & secretissimorum cordis tui mortuum? Non credis ergo, adesse Providentiam, quæ permittit, quæ conservat, quæ mutat cursum præclarissimarum fortunarum, juxta Irrevocabilia suæ Sapientiæ consilia? Altissimus est ad puniendum tardus, verum est; sed tandem ejus Justitia eo terribilius puniit, quo diutius expectavit; brachium illius ingravescit super peccatores, & nemo illorum ultionem ejus evadit: *Altissimus enim est patiens redditor.* Deus non est ex Diis invalidis, atque cæcis; lumen illius omnia permeat, & scrutatur; potestati vero illius nemo resistere valet. Itaque postquam suæ indulsit clementiæ peccatori spatium suimet cognoscendi relinquens; tandem iterum justitiam in suo jure constituit, & ipsa novit, quo pacto illud exerceat. *Peccavi*, inquit, *& quid mihi accidit triste?* ita conaris teipsum in scelere confirmare, tunc temporis, cum cogendus es oculos aperire, & cum terminus instat, quem sibi Dei patientia perscripsit? Quo minus times, tanto magis timendum est tibi, & obdurationis tuæ signum accedentis divinæ ultionis argumentum est. *Idem ibidem.*

Tanta est Dei misericordia ut peccatores ad illam consequere possint toties quoties ceciderunt.

Justit Deus in omnem terrarum orbem late prædicari generalem omnigenarum noxarum remissionem: *Prædicare remissionem peccatorum in omnes gentes*; voluitque Apostolos, qui nomine illius pronuntiarunt leges, & edicta, quibus illius regitur imperium, inter articulos fidei hanc inserere peccatorum remissionem; ad hæc relinquens in Ecclesia facultatem dimittendi peccata, non semel, sed quotiescumque humana fragilitas novis succumberet lapsibus; ita ut sicuti Sacerdotium illius æternum est, & jugis etiam sperari posset misericordia, & ne unus quidem esset, qui sufficientibus gratiis, quas Deus ad extremum usque vitæ exitum largitur, suffultus, quacumque hora voluerit converti, salvarique possit. Misericordia enim semper cum Justitia consentit, & hæc semper effectibus, & studiis divinæ bonitatis velificatur. O admirabilem Dei nostri bonitatem! Peccatores cur largitates illius coarctatis? Cur vultis contrahere immensam misericordiæ ipsius extensionem? Vult omnes converti, ac salvari; igitur omnes convertere, & salvare potest. *P. Antonius de S. Martino a Porta in libro, qui inscribitur*, Les Conduites de la Grace.

Copiosior est ubi major sceterum numerus.

S. Paulus Apostolus ait: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*: Omnia teterrima licet peccata non aliud sunt, quam gutta, ubi comparentur cum immensa abyssu gratiarum, & misericordiarum Dei. Nonne diceres Apostolum hoc stylo, & hac loquendi ratione sibimet quamdam veluti circumvallationem, vel obsidionem fingere, quam omnes impietates mundi extruunt adversum hanc Dei misericordiam, & voluntatem nosmet omnes salvos faciendi? Ubi tantum abest, quod illi victoriam reportent, ut e contra divinam hanc misericordiam ita provocent, ut ex contrariorum oppositione novas vires, novaque incrementa recipere videntur, & quodammodo conatus, ac vires suas ad resistendum ingeminare, ut referant victoriam? *Idem.*

Apostolus Gentium agnoscit, & adorat in Deo divitias, & infinitos bonitatis thesauros iis verbis, quæ nos æquissima reprehensione confundere debent, simulque cogitatione infinitarum misericordiarum ejus consolari: *Num divitias bonitatis ejus, & sapientiæ, & longanimitatis contemnis?* Ubi animadverti potest, non dici, in Deo esse bonitatem, patientiam, at longanimitatem; sed divitias; ac thesaurum bonitatis; patientiæ, & longanimitatis. Non dicit, Deum gratias conferre; hic usitatus est bonitatis ejusdem effectus, sed uberes, copiosas, numerosque carentes gratia profundere, quod significat immensus hic bonitatis thesaurus. Non dicit illum nos in nostris infquitatibus pati; hæc illius consueta patientia est; sed pati abominationes immodicas toties repetitas; qui magnus est thesaurus patientiæ. Non dicit, illum nos biennio, vel triennio sustinere; quæ naturalis est longanimitas, sed quadraginta, & quinquaginta annos impendere in peccatoribus, perditissimisque animabus inquirendis, iisque ad se revocandis per infinitæ misericordiæ suæ effectus; quæ sunt profusiones longanimitatis, & misericordiæ erga miseros peccatores. Adeo verum est per multitudinem gratiarum, & plenitudinem Redemptionis Domini, nobis persuasum esse debere nullam esse adeo impenetrabilem conscientiam, neque spiritum adeo derelictum, qui sceleribus suis medicinam invenire nequeat, & qui plura non habeat conversionis subsidia, dummodo velit salutem suam operari. *Idem.*

Idea Apostolus gratiam Dei vocat thesaurum bonitatis mallit finibus tegitum.

Quodnam magnificentius divinæ exemplum misericordiæ nobis occurrere potest, quam prodigus Filius, qui cum plurima secum reputasset consilia de reditu suo in paternam domum, judicans præteritæ vitæ libidines, ac reverentiam Patri suo debitam, quem ipse conculcaverat, sibi nequaquam promittere posse se facile admissum iri tamquam filium, arbitratus est si se patri suo tamquam mercenarium obtulisset, facilius se excitaturum in patris sui corde sensum miserationis, & consecuturum ut hic suæ calamitatis misereseeret. Hoc usus consilio, omnique abjecta verecundia viam corripit; nancisciturPatrem suum, a quo omnia numerabantur suæ absentiæ momenta, quæ illum optatissimi filii hujus adspectu privabant. Statim ac illum venientem prospexit properante gradu irruit in collum ejus, eumque suis lacrymis irrigat. Jubet fasginatum vitulum mactari, eum pretiosissimis vestibus induit, sibique videtur non satis mortalium invenire, quos in lætitiæ suæ, gaudiorumque partem vocet. *Idem.*

Huius rei magnificum intuemur exemplum in parabola filii prodigi.

S. Thomæ, plurimorumque Theologorum cum eodem docentium auctoritate confirmari posset hæc veritas; licet Dei misericordia in semet sit infinita; nihilominus cum præter Deum nihil sit infinitum, gratias, quibus eadem utitur misericordia ad salutem nostram procurandam esse in finito, ac determinato numero: ita ut quo sæpius Spiritui Sancto resistimus, eo magis misericordiam hanc exhaurimus, & in reprobationis statum adducimur. Hic ordo est, quem Dei misericordia erga peccatores tuetur, & quem nobis ostendit ea ratio, qua Salvator cum Jerusalem utitur. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas: Quoties volui congregare sub alas filios tuos, & noluisti? ecce relinquetur domus vestra deserta.* Infelix Jerusalem Prophetarum interfetrix, *quoties volui?* Quoties tibi lumen præluli, quoties interius tetigi te, quoties copiosa misericordiæ subsidia contuli tibi? *& noluisti.* Ecce resistentia, qua homo sese præbet durum sollicitationibus Dei, ita ut illis minime afficiatur. *Ecce relinquetur.* Deus primum quidem hominem relinquit, mox reprobat. *P. Texier in Dominicis, Tomo 2.*

Cum Dei gratiis resistimus; ille nostri misereri cesset.

Matth. 23.

Si te peccantem sustinet Deus, non ideo putes, eum non posse, simulac lædiur, te in infernum dare præcipitem; sed te sustinet, sperans tandem temet collecturum, acturumque pœnitentiam. Ecce ubi infinita Domini erga te bonitas emicat. Non solum te invitat, cogit etiam, ut ad se revertaris; expectat adhuc cum invicta patientia; ut velis gratiæ suæ respondere, ac omnes repulsas, contemptusque tuos patitur ob id unum, ne pereas. Ita est. Deus te peccantem sustinet, suaque flagella suspendit, ut resipiscas, eique misserendi locum præbeas; *Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri.* Bonitas autem te flectere nequit, ac ad Deum tuum per pœnitentiam revocare? *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. P. Segneri in Meditationibus.*

Deus peccatorem patitur ut habeat tempus illum convertendi; & ille ad misericordiam confugere valeat.

Isai. 30.

Rom. 2.

Quodnam hoc scelus esset, si Dei bonitas, & patientia, nos ad illum lacessendum audaciores efficeret? Nonne hoc esset esse velle nequam, quia Deus bonus est? Deum magis, magisque offendere vultis, quia sustinet vos, & vobis indulget. Non restat amplius, nisi ut offendatis illum, quandoquidem propter vos factus est homo; quandoquidem propter vestram salutem in Cruce expiravit, Deus bonus est, patiens est, non vult perdere vos. Cur ergo nosmet urgere debemus, ut serviamus illi, & pœnitentiam agamus? Tempus non deerit. Insipiens conclusio! Tamen ita argumentamini; & per summam cæcitatem, quæ res vos urgere deberet, ut peccato nuntium mitteretis, vos in eo persistere cogit, & ad interitum adducit. *Idem.*

Quodnam hoc scelus esset, si Dei bonitas, & patientia, nos ad illum lacessendum audaciores efficeret?

Quodnam in peccatore scelus esset abutitur.

si patientia Dei ut in peccato persistetet.

Ut Dei misericordiam obtineamus, illam mereamur oportet.

Quid putamus, cum dicimus Deum misserturum esse nostri? Credimus ne, cum salus nostra sit divinæ bonitatis effectus, quia pendet a gratia, nobis unice in divina misericordia esse quiescendam, quin eamdem nobis conciliare adnitamur. Salvator non ait, misericordes misericordiam percepturos, sed misericordiam obtenturos. Deus igitur non omnes misericordiæ suæ largitur effectus veluti mera dona, sed sæpissime tamquam præmia; licet præmia hæc semper meris donis insistant, & alioquin sint adeo copiosa, ut numquam misericordiæ titulum amittant. At si misericordia ex parte veluti præmium, & merces obtinetur, cur illam nos consecuturos speramus, quin illi quidquam per nos conferre velimus? *P. Segneri. Meditat. Tomo 5.*

Dei unius est esse divitem in misericordia. Ephes. 2.

Dei unius est esse divitem in misericordia, & hic unus caracter ex Apostoli sententia illum ab hominibus secernit. *Deus qui dives est in misericordia.* Primum enim in hominibus benefaciendis facultas exiguis finibus continetur, eaque usu teritur, & exhauritur. Secundo eorum liberalitas fere semper præcipitur; ad id Charitatis lege tenentur. Denique eorum beneficia sæpius minora sunt ea, quam sibi proponunt, utilitate, quamvis non aliud sibi proponerent, quam liberalitatis laudem, & gloriam. Non ita sentiendum est de misericordia Dei. Hic inexhaustus est fons bonorum, adeoque dives ita ut nemini petita negare possit: *Dives in omnes, qui invocant illum.* Nulla tenetur lege nobis suas communicare divitias; si vota nostra repelleret, quisnam jure ab eo quæreret, cur ita agat? Nullum ex donis suis quæstum refert; qui enim illi cedere quæstus potest? Gratiarum actiones, laudes, cultus? Gloria hæc, quæ eidem est mere æterna, nihil ejus adjicitet felicitati. Cæterum omnes honores, quos possumus deferre, æstimabiles non sunt, nisi quatenus sunt indicia veri ejus meriti, cui illos exhibemus. At Dominus nonne illis æque dignus est sive suam exerceat misericordiam, sive utatur jure justitiæ suæ? *P. Segneri in Meditat.*

Rom. 10.

Nihil nos magis movere potest, quam ratio, qua ille peccatorem inquirit.

Ecce aliquid mirabilius. Deus, infinitæ Majestatis Dominus, læsus ab homine sibi subdito, ac mancipio suo conviciis affectus largitur huic ex mero amore, & quin jure aliquo teneatur, tempus, & modum resipiscendi: illum excitat, ut sui peccati pœniteat, & ad id gratiæ suæ illi offert subsidium: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ.* Quanta est, o Domine, bonitas tua, qui ita parcis peccatori, quem perdere, & quem facillime perdere posses? Quæ tibi ratio, quæ utilitas efficere potest, ut in me adeo clementem, ac misericordem te præbeas? Heu! quis ego sum, ut me adeo sollicite perquiras? Sed aliquidne ultra requiritur, ut sentiam injustitiam meam, qua te dereliqui? Infinita hac adductus misericordia, qua mecum uteris, ne momento quidem pœnitentiam meam volo differre. Statim peccatum meum execror. Redde mihi amorem tuum, cujus per peccatum jacturam feci, & hunc semper omnibus vitæ meæ bonis præferam. *P. Segneri in suis Meditationibus.*

Job 24.

Dei erga nos bonitas tanta est, ut quo nequiores fumus, eo magis misereatur nostri.

Mirum non est, quod Deus bonitatis foveat miserationis sensus erga peccatores; quod autem homines non solum ex origine peccatores, sed qui per jugem nequitiam adjiciunt contemptum sceleribus, & contemptui irrisionem, qui Dei ipsius beneficiis abutuntur, ut eidem inferant bellum, qui illius patientia abutuntur, ut rebellionem, atque impotentiam fuam graviorem efficiant; quod homines, inquam, hoc in statu sint objectum benevolentiæ Dei; quod illos amet, sustineat, eosque bonis cumulet, hoc Deus unus efficere potest, homo vero intelligere nequit; & hoc illud est quod Auctor Ecclesiastici non satis poterat admirari. Verum est, inquiebat ille, quodam in sensu dici posse, Dei misericordiam erga peccatores esse coarctatam, quandoquidem illius spatium intra vitæ eorum curriculum constituit, qui ad centum annos minime protenditur; & ita constituens numerum dierum ipsorum, prescripsisse videtur limites durationi bonitatum fuarum: sed vult, ut alio pacto sentiamus latitudinem miserationis suæ per infinitam earum gratiarum copiam, quibus nos cumulat. Non enim solum aliquam nobis confert suæ misericordiæ partem, sed integram effundit in nos, ut ita dicam, atque profundit. Festinat prævertere momentum illud, quod vitæ nostræ terminum injiciens, esse debet principium regni justitiæ ipsius super nos; se ipsum urget, ac sollicitas quasi timeret, ne deprehenderetur. Licet rebelles simus, nos patitur tamen, nos vocat, non suis cumulat beneficiis. Dissimulat, quia tempus breve est, & vult singula momenta recentibus misericordiæ suæ effectibus connotari. Tamen non ignorat cor nostrum ingratum esse, atque superbum. Illud videt, illius testis est, scrutatur enim abditissimos animarum nostrarum sinus, earumque corruptionem agnoscit. Spectaculum adeo indignum illius patientiam delassare deberet; quæ tamen non cessat, & ex consummata nequitia nostra arripit occasionem consummandi in nos infinitas suas miserationes. Quin illius iram irritet, ejusdem ciet misericordiam. Sua clementia decertat cum ingrata hac creatura, ac semper sperat se blanditiis suis de illa victoriam reportaturum. Cæci sumus, illuminat nos; superbi sumus, nos humiliat; duri sumus, nos emollit; vincti sumus, nostra infringit vincula; fugimus, nos persequitur. Nullum tempus est, locus nullus, nulla occasio, qua non utatur, ut vocem illius audiamus; & quo magis ab illo recedimus, eo magis ad nos accedit per misericordiam. *Auctor recens.*

Cur Deus, cum sit naturalis hominum judex, qualitatem hanc in Filium transtulerit juxta Prophetæ votum.

Adnotandum est, quod si Deus noster est judex, est quoque Pater noster, est Sponsus animarum nostrarum; est Amicus noster, est Frater, Patronus, atque Salvator noster. Quot qualitates, quæ nobis solatio esse debent, adversus unam, quæ terribilis est! Quod in hac terribile est, nonne æquiponderatur eo, quod in aliis inest amabile? & intuiti tot varias formas, quas illius assumit misericordia, pro una, sub qua sese nobis ostendit justitia. Nonne justa nobis est causa nosmet in terroribus nostris confirmandi, & cum Propheta confitendi, misericordias Domini quod spectat ad nos omnibus aliis operibus potentiæ ejusdem præstare. Addere hoc in loco possumus præclaram Sancti Joannis Chrysostomi sententiam, explicantis hunc orationem Prophetæ, qui Deum enixius precabatur, ut judicium, & justitia sua per Filium suum exerceret. Quare, inquit Sanctus Pater, rogabat ille, ut Deus semet sua exueret potestate in Filium suum hominem factum transferenda? Quare Deus Prophetæ orationem exaudiens re ipsa demandavit Jesu Christo curam judicandi vivos, & mortuos, quemadmodum Salvator ipse in Evangelio testatur? Numquid judicium in manibus Dei non æque juste exercitum fuisset? Ita procul dubio: judicium quidem pariter æquum fuisset, sed fuisset terribilius. *Auctor Recens.*

Homines infirmi, & peccatores omnia timere debent a Judice Sancto, & omnipotenti.

Quod Deus Sanctus judicet peccatores, quod Deus impassibilis judicet homines tot addictos cupiditatibus; quod Deus potens, & irritatus judicet homines infirmos, & nocentes: heu! his nonnisi supplicia essent expectanda? Quod vero judicentur ab homine simili sibi, qui eorum miserias expertus est, eorumque peccata sustinuit, qui factus est ejusdem naturæ, frater illorum, amicus, atque Salvator; quibus antea omnia erant metuenda, his modo sperandum magis est, quam timendum, quandoquidem judex, quem obtinuerunt adeo pronus est ad misericordiam. Ideo ex Sancti Hieronymi sententia judicium translatum fuit in Filium Regis, & hæc nobis est consolatio, quod Deus insigni misericordiæ suæ effectu, seipsum abdicare dignatus fuerit hac Judicis dignitate, ut eadem Filium suum decoraret. Sed hoc nondum totum est; illud præcipuum est quod hæc in Salvatores dignitas est titulus, qui maximam nobis adfert consolationem, omnemque mulcet formidinem. *Idem.*

Del Filius nostra indutus carne nobis adimit nimium terrorem judiciorum.

Quantumvis gravia, ac frequentia nostra sunt crimina, cum Filii Dei redemptione omnia divinæ justitiæ jura adimplemus. Invenimus thesaurum hunc in Jesu Christo, in hoc illum possidemus, per hunc illum afferimus Patri ipsius, & cum tali pretio jure omnia ab illius misericordia expectare debemus. Hæc me consolatur cogitatio, cum ad Aras manibus meis teneo pretiosum Salvatoris mei Corpus, & Sanguinem illius adorabilem. Tunc credo me jure dicere posse, Pater meus, & Deus meus! si contra me irritatus es, ecce unde tibi satis faciam. Thesaurus, quem teneo meus est, quia illum mihi dono dedit Jesus Christus; & iste thesaurus infinitus est, & æque infinitus ex gratia tua, ac tua misericordia. Statue Domine quodcumque pretium salutis, Paradisi, beneficiorum taorum: ecce, unde tibi satisfacere possum, tuamque implere justitiam. *Idem.*

Verum est nos ex nobis nihil præsu-

Non audet peccator dicere, respice me, *Domine*; e con-

mere posse. Sed cum Sancto Petro, recede a me Domine, quia pollutus sum. Oculos dejicit in terram velut Publicanus, illos in Cœlum non ausus attollere, ne, hoc saltem videtur, ad se Dei oculos convertat: sed tamquam Maria Magdalena, quæ lacrymis suis Salvatoris pedes rigabat retro ad pedes ejus provoluta. Verum si peccator seipsum non audet ostendere; dicit Deo, inspice in filium tuum, intuere illius vulnera, & sanguinem, & placaberis. Sed quid dico, itane loquitur peccator? Non ita; ipse est Dei Filius, qui pro peccatore sollicitat, qui Patri suo irritato infinitos offert suorum meritorum thesauros ut omnia justitiæ jura compleat; & per hoc ipsa etiam nobis favet justitiæ. *Idem.*

Ipse pro nobis peccante nonnisi misericordem acquirstem postulemus expectare.

Jesus Christus, ut ita dicam, sceleribus nostris onustus non solum noster mediator est, verum etiam, ut Sanctus Joannes ait, noster apud Deum Advocatus. Inter duplicem hanc qualitatem aliquid discriminis adest. Mediator misericordiam petit; ipse eam petit tunc etiam cum illam non mereamur; & petit illam, ut videtur, non sine quadam specie timoris: Advocatus autem justitiam poscit, cum firmitate quadam eam poscit, poscit cum auctoritate, & securitate. Si Tribunal coram quo loquitur justum est, ac perspicax flagitat illam vi argumentorum, quæ profert; & quin illum loci, ubi loquitur, justitia deterreat, in eadem Tribunalis justitia suam confidentiam constituit. Ita pro nobis loquitur Jesus Christus cum auctoritate, & securitate loquitur præ se titulos ferens, & hi tituli æque certi sunt ac ejus vulnera manifesta. Suas etiam in Cœlo cicatrices servavit, quidam Pater ait, tamquam pretium suarum miserationum. Quid ergo nobis timendum est? Quo æquior est judex, eo melius propitiam sententiam expectare debemus, cum talis Orator pro nobis perorat. *Idem.*

Quamvis Dei misericordia infinita sit tibi tamen quosdam fines constituit.

Quemadmodum perperam argueret, si quis diceret; Dei omnipotentia infinita est, plures igitur mundos creabit; ita perperam sibi blanditur, qui eo quod infinita illius est misericordia, tenet, ipsum omnibus peccatoribus omne gratiarum genus concessurum. Divina potentia licet in se infinita quosdam sibi limites statuit; ita & misericordia. At post quem peccatorum numerum Deus suas renuit gratias? Hoc nos fallit. Unum aliquando satis est crimen. Rebelles Angeli quot commisere peccata? Unum. Quot hominibus Cain mortem intulit! Uni. Quoties furatus est Achan? Semel. Quot gulæ peccata commisit Esau? Unum. Quot Simonias patravit Simon? Unam. *Dictionarium Morale.*

Dei erga pauperes misericordia.

Rex Propheta testatur, Dominum esse plenum bonitate, prolixam habere patientiam, & numero carere ipsius misericordias. Et sane, Sanctus Augustinus ait, quam simile est diutinæ Dei patientiæ? Quid simile affluentiæ miserationum illius? Homo peccat, Deus illum vivere patitur, nihil intentatum relinquit, ut homines ad conversionem excitet, nihil missum facit ut illos ad pœnitentiam invitet. Ad se illos arcessit per beneficia sua, illos arcessit per sanctam aliquam lectionem; illos arcessit voce ministrorum suorum, quos mittit ad annunciandum verbum suum, illos arcessit per sanctas cogitationes quas in illis ciet; illos denique & severitate suppliciorum, & consolationum dulcedine arcessit. *Lambert.*

Peccator non debet abuti clementia Dei ut in scelere perseveret.

Quid agit homo Dei sui indulgentiam conspiciens? Hac abutitur, ut contra illum exurgat, & iterum offendat. Si scires debere Deum jure suo uti, ac statim post primum scelus tuum illi pœnas sumendas esse de te, teque præcipitem in infernum projicere, quonam timore, qua humilitate coram illo ambulares? Quid? quia ægre sese excitat ad te perdendum, quia spatium sibi ad illum redeundi permittit, quia te ipsum urget, ut revertaris, quia te licet inimicum suis cumulat bonis, ideo magis insolescis, & ad illum lacessendum audacior evadis? videlicet, Domine, fidelius homines tibi famularentur, si minora illis conferres beneficia, & si erga illos omni lenitate, & misericordia caveres. Heu! Si Domine bonus es, patiens, misericors; nonne hoc ipsum cogere debet, ut ita dicam, peccatores, ut agant pœnitentiam, & sese tibi dedant? Attamen hoc ipsum in causa est, quod a te procul permaneat, & majori cum audacia, & impotentia in omne facinus ruat. *P. Segneri in Meditat.*

Deus per suum misericordiam eluit nos ex eorum, ut ad sanctitatem adducat. Job 1.

Eras nuda, & confusione plena, & pertransivi per te, & vidi te . . . . . Ex expandi amictum meum super te, & operui ignominiam meam. Verba hæc exhibent nobis admirabilem Dei bonitatem, qui per infinitæ misericordiæ suæ effectum animam ex errorum tenebris educit, ut ad sublimiorem sanctitatis verticem illam attollat. *Eras nuda, & confusione plena.* Anima peccatrix nuda est, quia omnibus virtutum ornamentis exuta? *Confusione plena est*; quia sceleribus onusta. Deus ut ita loquar propter illam pertransit: *Transivi*, & eam in hoc statu videt, *& vidi te.* Videlicet in illam suam oculorum aciem figit, qua hæc illuminatur, & inde cognoscit quam ipsi charus, ac jucundus esse debeat Deus suus: Ita Jesus Nathanaelem respexit: *vidi te sub ficu*; hoc est juxta Sancti Gregorii interpretationem, elegi te; quem enim hominem in terra non videt Deus, ubicumque ille sit? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Deus per misericordiam suam nos convenit, cum maxime dediti sumus peccato.

Deus illud eligit tempus, quo homo mundi, vanitatis, & cupiditatum suarum amore magis occupatus est, ut in ipsum peramanter suos oculos figat. Tunc Deus illum sibi integrum vult comparare, ut misericordia sua insigniorem referat de humana miseria triumphum: *Expectandi amictum meum super te, & operui ignominiam suam.* Hoc nobis ostendit gratiam, qua Deus prævenit animam, ut illam cohibeat, sibique alliget gratiam adeo validam, officiosam, potentem, ut anima illi cedat semper, quamvis eidem resistere valeat. Gratiam, quæ nos justificat, pone sequitur gratiam, quæ nos amovet a culpa: utraque enim ex eodem principio proficiscuntur. Cum enim anima, urgente gratia, cedere incipit; idem spiritus charitatis, quo primum ad Deum suum trahebatur, sensim in eamdem se insinuat, eam pretiosis muneribus ornat, ciet in illa sensus contritionis teneræ, vivæ, sinceræ, qua suorum scelerum deletur opprobrium; *Operui ignominiam tuam. Idem ibidem.*

Deus per misericordiam suam anima pœnitenti sponsæ tribuit dignitatem.

Animam, quæ peccatrix olim pœnitens facta est, Deus sibi dignatur sponsam eligere. Apparatus, quos facit, ut illam ad hunc honorem extollat, totidem sunt amoris pignora, quæ illi largitur. Confert autem illi spiritum pietatis, conscientiæ religionem, donum lacrymarum, & præsertim stabilem spem, futurum ut illa sit ei loco rerum omnium in mundo. Animæ hoc æque persuasum est, ac si Deus sese illi palam ostenderet hoc promissurus. Fide hac roborata init consilium nexus omnes cum creatis rebus infringendi, ut unice Deo famuletur. Tunc Deus animam hanc sibi assumit in Sponsam, ipse illi, ipsi illa sese obligat, & adeo arcta voluntatis conjunctione junguntur, ut anima non solum Dei sit, tamquam alii justi, sed ut omnino, & absolute tota illius sit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Deus hoc modo agit solum cum electis animabus quas primis cœli subsellis destinat, & cum quibus oblectatur colloquii in terra in altissimæ contemplationis tranquillitate. Quam felices sunt animæ hujusmodi, in quas dignaris Domine oculorum tuorum aciem convertere, ut eas tibi arctissimis misericordiæ tuæ vinculis devincias: Scio, Domine, meam tanti muneris indignitatem; sed ut tua elucescat misericordia sæpe respicis animas abjectissimas, ac maxime contemptibiles ut electas tibi sponsas efficias. Quam aptus sum ex hoc loco, ut fiam tuæ gloriæ instrumentum! *P. Segneri in Meditat.* Cant. 2.

Quanta fuit ira Dei adversus Ægyptios, & quanta est adversus peccatores.

Volens Deus iram suam exercere in Israelitas dicebat Moysi: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Quam sublimem, & solatii plenum infinitæ bonitatis Dei nostri conceptum, nobis hæc adstruunt verba! Populus, quem Deus mero misericordiæ suæ effectu præ cæteris terrarum gentibus elegerat sibi in populum dilectum, in cujus gratiam nuperrime tot insignia operatus erat miracula; populus cumulatus, & saturatus miraculis, & beneficiis qualia fuerunt flagella super Ægyptios iterata, donec populo eidem libertatem donassent; transitus maris rubri sicco pede trajecti; exquisitæ dapes de cœlo demissæ; manna miraculosum; panis cœlestis, qui cujuscumque gustui adaptatur; pretiosum cum Deo fœdus etiam ut Deus esset suus, suus Patronus, legislator, & Pater: tot inter miracula atque alia plurima, quæ in singulas horas pro illis, & sub eorum oculis fiebant, populus hic ingratus, & impius momento oblivisciturus tot insignium beneficiorum, auctorisque eorum, palam contra benefactorem suum rebellat, contra Deum, Patremque suum, atque impietatem suam ad excessum usque protendens conflat sibi vitulum aureum, hunc tamquam Deum suum thure colit, huic hostiis sacrificat. Quibus fulminibus justissime irritata Dei ira uti non debet ad nationem adeo pravam internecione delendam? Nullus umquam populus extitit, qui severioribus pœnis esset torquendus, nulli fuerunt umquam peccatores divina ultione digniores. Deus irritatus est;

est; illius ira, & indignatio contra infidelem hunc populum irritatur; sed ejus bonitas, & misericordia magis adhuc elucet, quam illius iracundia. *Dimitte me*, dicit ille Moysi, *ut irascatur furor meus.* Si vellet irasci, nequaquam diceret Moysi, *dimitte me*; iraesceretur, puniret, exterminaret. Cur prævertit servum suum, nisi eum admonituruS, ut precibus sibi ille auferat arma? *Dimitte me.* Moyses Deo non obstitit umquam, sed optat Deus, ut ille sibi restitat. Moyses nondum illum precabatur, ut parceret; sed timet Deus, ut Moyses criminis atrocitatem detestatus preces non addat, ac se in nocentes sinat desævire. Deus agit tamquam Pater bonus, qui ægre fert, ubi videt se adigi ad necessitatem nocentem filium punienti; qui dum magis servet ira, cupit, ut inter se, filiumque situm aliquis intercedat, sibique virgam extorqueat, quam ad illum puniendum distrinxerat, ut auctoritate gravis vir pro improbo filio intercedat, eique aliquam præbeat causam, quam veniæ reo concedendæ prætexat. Ita Deus in peccatores operatur. *Dimitte me ut irascatur furor meus.* Vult preces Moysis esse tamquam validum brachium, quod Dei manum ad ferendum pronam detineat; vel potius inspirat, & in Moysis corde format eas preces, quibus cedere vult: misericordia Dei pugnante, ut ita dicam, cum ejusdem justitia effectusque hujus inhibente. Hoc in sensu, Patres inquiunt, Deus vehementer clamat, & tamen edit strepitum, cum minitatur. Inducit Prophetam suum dicentem quod Deus arcum suum tendit, quod acuit sagittas suas, quod illius ira inflammatur, & jamjam eruptura est. Qui tantum strepitum edit, hic sane non vult grave damnum inferre. *Dimitte, ut irascatur furor meus. Dimitte me*; hæc Sanctissimæ Virgini, quæ peccatorum refugium est, & patrona, hæc Sanctis Angelis Custodibus, qui sua interesse putant salutem eorum, quorum sibi cura demandata fuit; hæc Sanctis Protectoribus, qui valide pro peccatoribus intercedere possunt; Hæc dicere videtur Deus: *Dimitte me*, ut parcendi causam habeam. *Ascetica Exercitationes Patris Croiset Tomo secundo.*

Numquam ex hoc infelicitatis statu egressi fuissemus nisi per misericordiam suam, Dei Filius nos liberasset. Ipse divinæ satisfecit justitiæ pro sceleribus nostris; ipse nobis ea gratias obtinuit, quæ sunt conversionis nostræ nostrorumque bonorum operum principium; ipse nos fecit corporis sui membra. Ut coram Deo prodire possimus, ipse tegit imperfectionem justitiæ nostræ, sua perfectione, alioquin enim peccata, quæ indesinenter committimus, imperfectio, quæ in optimis actionibus nostris reperitur, nostri cordis impuritas, nos indignos præberent, qui nosmet offeremus coram Deo, & qui ab eodem benigne admitteremur. *Annus Evangelicus Lambert Tomo 1.*

Quænam validior fingi potest ratio, ut peccator ad conversionem agatur, hac Dei patientia? Bonitas Dei, Sanctus Paulus ait, nos ad pœnitentiam ingrediendam sollicitat. Quoties dæmones magis impatientes, quam Servi Patris Familias Deo dicunt; visne eamus ad hoc lolium colligendum: Sed patiens hic Deus illos expectare jubet usque ad messem, ut liqueat utrum mala gramina in frugiferas plantas valeant immutari. Peccatores quisnam ille est, qui vos expectat? Deus, quem lædit, Omnipotens Deus, Deus qui statu uno vos redigere potest in cineres: Creatura deserit Creatorem, & Creator requirit Creaturam. Hæc bonitas si bene intelligatur nonne flectere deberet durissima corda? Intelligi inquit, quomodo humani cordis durities eousque procedere valeat, ut tantæ huic misericordiæ non cedat. *Idem Tomo 1.*

Cavendum ne misericordia obutamur.

Jesus Christus est Agnus Dei, quia pro Dei gloria immolatur. Nec minus Agnus est nobis propter mansuetudinem atque patientiam. Qua bonitate nostras sustinet infirmitates? Nonne scelera nostra dissimulat? Nonne suffert ingratitudinem nostram? Qua facilitate nobis dimittit injurias, quas illi fortasse quotidie inferimus? Sed cavendum est nobis ne nimis diu hac misericordia abutamur. Agnus quidem Dei est, sed simul est Leo Juda. Lenitas illius fortasse non multo post in indignationem, furoremque mutanda est. Ne contemnas ergo, Sanctus Paulus ait, divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis ejus. Memento, quod Dei bonitas te ad lenitatem adducit, & quod ob hunc tantummodo finem hactenus peccata tua dissimulavit. Si differs adhuc sequi illecebras misericordiæ ipsius, cave ne sibi sustinendum sit omne pondus & misericordiæ contemptæ, & irritatæ justitiæ. Ne patiaris, Salvator amabilis, me ita divitias bonitatis quæ in iræ thesaurum immutare per duritiem cordis rebellis, atque impœnitentis. Fac illud voci tuæ docilem tuisque gratum beneficiis, ut vera pœnitentia incessanter tuam leniat justitiam. *Pater la Neuville primo Ethica Tomo.*

Apoc. c. 5.

Rom. 1.

MODESTIA.

Compositus oris habitus. Immodestia.

MONITUM.

PRO externo oris habitu composito nihil præter modestiam intelligo: sed cum hoc modestiæ nomen pluribus conveniat argumentis, de quibus jam verba fecimus, vel deinde facienda sunt: opera pretium est, re adhuc integra eos cancellos statuere, intra quos præsens hoc argumentum continetur. Hic igitur locuturi sumus de exteriori modestia, quatenus ex interiori principio ad virtutem composito proficiscitur; sine quo neque esse potest ethica, neque christiana virtus, sed vel hypocrisis, vel ipsius naturæ effectus. De vestium modestia, atque immodestia alibi recurret sermo, ubi etiam de virtute, quæ nimiam eorum pompam, & apparatum moderatur, qui in insigni aliquo gradu constituti refulgent; quæ & ipsa modestia appellatur. Excusi quoque sumus de interiori modestia, quatenus cum humilitate confunditur, quæ ob generis, fortunæque bona minime inflatur. Reliquum igitur est, ut hoc in loco de exteriori agamus modestia, quæ in eo sita est, ut gestus, omnesque corporis motus, verba, & actiones moderetur.

Verum quidem est hoc argumentum, aptius apud cœnobitas, vel in cœtu eorum, qui pietatem profitentur, quam magna in populi concione pertractari, quamobrem perpaucos inveneris, qui hac de re integros sermones ediderint: sed cum virtus hæc aliter sit exercenda pro statu, ordine, ætate, sexu, & conditione singulorum; & hæc illa sit virtus, quæ statim oculos perstringit, & peccatorum corda potest attingere, hujus argumenti sermo quibusdam in locis, & occasionibus potest plurimum, proculdubio, fidelium pietati conferre; præterquamquod cum immodestia oppositum huic virtuti vitium illis scandalum posset adferre, alterum ab altero non est sejungendum, & hoc pacto argumentum licet nimis arctum videatur, non erit ita sterile, ut illis videtur, qui illius latitudinem, & utilitatem satis non considerant.

PARA-